


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


PA
6276
Z5S5



YC 51988

Digitized by Google

EXCHANGE



EX LIBRIS

Digitized by Google

DE NVMERI PLVRALIS VSV CATVLLIANO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO


PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

EXCHANGE
DEC 7 1933

RITE IMPETRANDOS

FRIDERICVS SLOTTY
BREGENSIS

UNIV. OF CALIFORNIA



IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMV

Digitized by Google

PA6276
Z5S5

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 3. Juni 1905.

Professor Dr. Thomae,
d. Zt. Dekan.

EXCHANGE

UNIV. OF CALIFORNIA

Digitized by Google

PARENTIBVS · CARISSIMIS

SACRVM

1*

854678

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

PRAEFATIO.

Saepissime apud poetas Romanos verba videmus pluraliter prolata, quae in sermone pedestri i. e. in prosa oratione poesi non infecta singularia sunt. Quae numerorum permutatio varie ac diverso modo a viris doctis explicatur. Ac plerique quoddam discrimen significationis inter pluralem et singularem intercedere existimant[1]). Neque vero desunt qui censeant e causis mere formalibus intellegendum esse illum pluralem, quem vocant poeticum[2]). Quae cum ita sint, operae pretium mihi videtur denuo in hanc rem inquirere; quo in conatu quo altius penetremus, optimum puto unius poetae carmina perscrutari. In eo autem eligendo ductus sum ad illum, qui novum quasi sidus poeseos Latinae eluxit, ad C. Valerium Catullum. Cuius poetae usui dicendi quamquam iam ante me nonnulli viri docti[3]) operam

---

1) Cf. C. G. Iacob, de usu numeri pluralis apud poetas Latinos. Numburgi 1841; Ph. Spitta, quaestiones Vergilianae. Sondershusae 1867; F. Sass, de numero plurali. Kiloniae 1873; G. Overholthaus, syntaxis Catullianae capita duo. Papenburgi 1875. p. 4—7; R. Braumueller, Ueber Tropen und Figuren in Vergils Aeneis. Berlin 1877. p. 10 sq.; E. Seyss, Ueber den Plural der substantiva abstracta in Vergils Aeneis. Iglau 1882; F. Kuehner, Ausführl. Gramm. der lat. Sprache. Hannover 1878. II § 23; F. Neue-Wagner, Formenlehre der lat. Sprache. Leipzig[3] 1902. vol. I § 103 sqq.

2) Cf. O. Koene, Ueber die Sprache der röm. Epiker. Münster 1836 p. 57 sq., 105; F. C. Hultgren, Die Technik der röm. Epiker (Fleckeisens Jahrb. 107 [1873] p. 745 sqq.); E. Appel, de genere neutro intereunte in lingua Latina. Erlangae 1883. p. 14 sqq.; O. Keller, Grammat. Aufsätze. Lips. 1895. p. 201 sqq.; E. Norden, Vergils Aeneis VI p. 399 sq.; P. Maass, Studien zum poet. Plur. bei den Römern (Arch. f. Lex. XII p. 479—550) Neque illis neque his totum se addicit A. Draeger, Histor. Syntax. Lips. 1874. § 5 sqq.

3) Cf. G. Overholthaus l. c. B. Ziegler, de Valerii Catulli sermone quaest. sel. Friburgi Brisig. 1879; A. Reeck, de Catulli carminum re grammatica et metrica. Vratislaviae 1882; idem, Beiträge zu einer Syntax des Catull. Bromberg 1889.

Digitized by Google

navaverunt minime inutilem, magnopere tamen dolendum esse video, quod aut prorsus neglexerunt de plurali poetico dicere aut perpaucis tantum verbis tractaverunt. Hanc igitur quaestionem, cum digna esse videatur, de qua peculiari commentatione disseratur, in eis quae sequuntur pro virili parte explicare in animo est. In materia autem distribuenda hac utar dispositione, ut primum tractem de singulis pluralibus, quos a communi dicendi ratione recedere viri docti sibi persuaserunt, et simul inquiram, num explicationes ab illis allatae probari possint; deinde exponam, quibus causis permotus poeta me quidem iudice illis locis pluralem adhibuerit pro singulari; tum quaeram, quibus fundamentis nixi poetae Latini quo processerint in plurali poetico usurpando.

Caput I.

A. De concretis.

§ 1. Nomina propria quamquam per se sunt singularia tantum, tamen pluraliter ponuntur e certis causis ut a scriptoribus ita a poetis [1]). Idem Catullus admittit; ac primum quidem afferam pluralem *Iuventiorum* 24, 1, quo utitur, ut significet complures huius gentis viros. Parem sensum praebet pluralis *Cupidines* 3, 1; 13, 12; etenim de vera Cupidinum multitudine agi cognosces, ut nunc alia mittam, ex iis verbis, quae Cicero facit de nat. deor. III 60. Neque vero idem iudicabimus de plurali *Veneres* 3, 1; 13, 12; 86, 6, quamquam idem orator in antecedente paragrapho loci modo citati enumerat quattuor diversas Veneres. Nam cum Cupidines nobis occurrant haud raro apud poetas Latinos [2]), numerum plurativum vocis Veneris legimus primum apud hunc poetam neque ab aliis receptum reperimus nisi a Martiale [3]). Qua ex re colligi necesse est vulgo complures Veneres non notas fuisse; neque arbitror hoc loco Catullum plurali usum esse sterili cum doctrina. Ac ne Schulzio [4]) quidem assentiar, qui vir

1) Cf. Kuehner l. c. § 20 et Draeger l. c. I § 6.
2) V. Neue l. c. I p. 593.
3) Cf. Martial. IX 11, 9; XI 13, 6.
4) Beiträge zur Erklärung der röm. Elegiker. Berlin 1893. I p. 4.

Digitized by Google

doctus numerum pluralem vocis Veneris e similitudine nominis sequentis quod est Cupidines ortum esse censet. Atque ut omittam uberius loqui de illius definitione, satis superque sit dicere illam numerorum attractionem prorsus abhorrere a nominibus propriis [1]). Probabile vero mihi videtur vocem Venerum usurpatam esse eadem significatione atque exempla sequentia et ea comprehendi omnes deas quae sint venustissimae, praecipue Gratias, ita ut hic evadat sensus *deae venustatis, ut Venus;* quae significatio generalis optime quadrat ad naturam appellativam huius vocis. Huc trahenda sunt etiam nomina *Aquinos* et *Caesios* 14, 18, quae pluribus verbis ita exponuntur: homines, quales sunt Aquinus Caesiusque. Qui usus cum sit creberrimus in soluta quoque oratione, non habeo quod plura dicam. Sed illud dignum iudico, quod quaeratur, sitne sequentis versus verbum *Suffenum* habendum pro accusativo singularis an pro genetivo pluralis. Neque enim Baehrensio [2]), qui vir doctus nomen *Suffenum* omnibus codicibus traditum — *Suffenam* lectionem codicis V mendum librarii esse opinor — mutavit in *Suffena,* assentiri possum, cum illud adiectivum eis substantivis quae sunt *Caesios, Aquinos* praegressis parum feliciter adhibitum esset atque illa additamenti forma ab usu esset remota. Itidem impugno eos, qui nomen *Suffenum* intellegant genetivum pluralis, quia illa genetivi forma non respondet usui Catulliano [3]). Itaque vocem esse accusativum singularis credo, quo probe Catullus aliis minoribus poetis opponit *Suffenum,* quippe qui plurimis versibus scriptis (22, 3) fuerit omnibus Romanis haud ignotus. Hanc quaestionem tractandam esse censui, cum nomen *Suffenum,* si fuisset genetivus pluralis, cecidisset in huius dissertationis fines.

Aeque ac pluralem *Caesios, Aquinos* hic poeta miro modo usurpat hos: *Syrias Britanniasque* 45, 22, ita ut sic explicentur: terras, quales sunt Syria et Britannia. Persaepe quidem fit, ut et scriptores et poetae pluralem nominum terras significantium ponant, cum spectant ad illius terrae partes, veluti *Galliae* (scil. Cisalpina et Transalpina) et *Hispaniae* (nimirum citerior et ulterior). Sed tamen hac generali significatione primus Catullus terrarum

---

1) Cf. Draeger I § 7, 4.
2) Catulli Veronensis liber. Lips. 1885. p. 137 commentarii.
3) De quo vide: A. Reeck, de Cat. carm. re gramm. p. 21.

Digitized by Google

nomina perhibet nec quisquam teste Friderico Neue (p. 598) ausus est eum imitari nisi Propertius, qui III (II) 16, 10 exhibet: *dic alias iterum naviget Illyrias.*

Hic dicendum est etiam de vocibus *Galliae* et *Britanniae* 29, 20, cum sint qui censeant eas esse nominativos plurales. Verum longius est percensere omnia quae viri docti attulerunt, ut sanarent hunc locum corruptum; sufficiat dicere Schwabii coniecturam ut lenissimam mihi videri optimam. Sed utut res se habet, id sane patet verba *Galliae* et *Britanniae* singulariter esse dicta, cum initio huius carminis (v. 3 et 4) eodem modo elata sint.

Hac igitur paragrapho docuisse mihi videor Catullum in nominibus propriis plurative usurpandis non discessisse a sermone communi nisi in voce *Veneres* et in nominibus *Syrias Britanniasque* (45, 22).

§ 2. Simili modo ac nomina propria pluraliter poni non possunt ea, quibus materia quaevis continetur, cum illa non numeretur, sed pendatur. Quorum pluralibus usi sunt scriptores Romani aut significationem immutantes (veluti *cerae* = Wachstafeln) aut exprimentes varia materiae genera (ut *vina* = Weinsorten); quamquam hic modus dicendi, ut in nostra lingua, admodum artis finibus erat circumscriptus illis ante Augusti imperium temporibus [1]). Poetae vero in illo sermonis pedestris usu non acquiescebant, sed etiam praeter illa exempla saepenumero pluralem protulerunt. Quem viri docti [2]) putant usurpatum esse, ut amplificaretur atque exornaretur notio copiae; quae explicandi ratio prorsus abhorret a tota pluralis natura [3]). Neque ad illos, qui hunc pluralem dictum esse censent idcirco, quod poetae ad singulas materiae partes spectent, accedere possum; namque absona illa notionis distributio abest a divino illius poetae spiritu. Quid? quae res e singulis partibus non est composita? Age vero videamus, quid de talibus pluralis exemplis iudicandum sit.

---

1) Cf. Maass l. c. p. 503 sq.

2) Dico eos quos p. 1 huius commentationis adnot. 1 enumeravi.

3) De hac quaestione videas quaeso: L. Tobler, Ueber den Begriff und besondere Bedeutungen des Plurals bei Substantiven. (Zeitschrift für Völkerpsychologie von Lazarus u. Steinthal. vol. XIV p. 410 sqq.)

Digitized by Google

Atque exordiar a duobus vocabulis, quibus aliqua humani corporis pars denotatur, qualia sunt *gingivae* et *medullae.* Ac *gingivae* 97, 6 vocem in libris scriptorum qui Catulli temporibus fuerunt frustra quaeres; immo apud hunc poetam, ni fallor, primum legitur, qui ipse etiam singularem in eadem re offert 39, 19. Ac pariter et singularem et pluralem huius vocis sine ullo significationis discrimine ponunt auctores primi p. Chr. n. saeculi, veluti Celsus, Plinius, Iuvenalis [1]). Paullatim autem numerus plurativus fiebat usitatior ac Charisii et Diomedis grammaticorum aetate *gingivae* semper pluraliter proferebantur [2]). Statuendum igitur est Catullum sine ulla dubitatione utroque numero huius vocis pro eadem re uti potuisse neque habemus, cur in plurali 97, 6 oblato offendamus. Haudquaquam autem Baehrensio et Overholthusio nos applicabimus, qui censent plurali repraesentari amplitudinem gingivae dentibus enormibus (v. 5) probe convenientem, quia ut iam diximus pluralis ipse non spectat ad notionis magnitudinem, sed ad veram multitudinem.

Similiter iudico de verbo *medullae* 55, 30; 64, 93. 196; 66, 23; 68, 111; 100, 7; cuius nominis quamquam exstat singularis paucis locis [3]), tamen pluralem haberi necesse est pro norma loquendi. Nam cum apud poetas semper fere occurrit numerus plurativus, tum illum semper ponit Cicero, qui quinquies tantum, si recte numeravi, hac vocula utitur [4]). Neque igitur haerebimus in Catulliano huius vocabuli usu.

In his vocibus quoniam vidimus poetam non recedere a scriptorum ratione dicendi, agamus de tribus aliis, quae inter se cohaerere facile cognoscemus. Sunt autem hae: *lymphae, spumae, vellera,* quas ut vere poeticas negant comparari cum usu pedestri. Initium faciam a voce *lymphae* 27, 5; 64, 162: cuius apud poetas ipsos invenitur et singularis et pluralis, sed hic tam saepe, ut eum usitatiorem putem [5]). Hac ipsa de causa reiecerim Over-

---

1) De quibus v. Neue I p. 674.

2) Cf. Neue I p. 583.

3) Ita Plaut. Stich. 341; Enn. A. 308; Catull. 35, 15; Ovid am. III 10, 27.

4) Cic. Tusc. disp. IV 27; V 27; Phil. I 36; Fam. XV 16, 2; Att. XV 4, 3.

5) Singularem repperi his tantum locis: Catull. 68, 54; Verg. Aen. IV 635; Valer. Flacc. III 424; Senec. Oed. 229; Seren. Sammon. XXVII 504.

Digitized by Google

holthusii [1]) et Baehrensii [2]) explicationes, quae ut arcessitae valde displicent. Qui pluralem versus 27, 5 accipiunt de aqua particulatim ad mensuram poculis infusa; ac tamen hic cavetur, ne aqua tangat calices. Ad eadem dumeta correpserunt viri docti in plurali 64, 162 interpretando, quo loco illum numerum ad eas particulas aquae spectare censent, quibus vestigia (vernacule 'Fufssohlen') abluantur.

De alio id genus vocabulo primo obtutu dubitare potes, sitne re vera vox poetica; etenim verbum *spumae* 64, 13 ter legitur in oratione soluta. Quorum primum locum, qui est in Varronis ling. lat. V 63: *poetae quod ... dicunt ... natam e spumis Venerem* fluxisse e poetis illico concedes; plane idem iudicabis de eo loco qui exhibetur in Ciceronis Verr. IV, 148: *spumas ageret in ore* atque vehementer admonet de Ennii verbis (A 518) et Lucretii (III 489). Relinquitur tertius locus, qui singularem vocis praebet et invenitur apud Ciceronem de nat. deor. III 59: *Venus ... spuma procreata;* quibus verbis oratorem vertisse Graecum deae cognomen Ἀφρογένεια verisimile est.

Restat, ut pauca de voce *vellera* addam, qua nemo usus est praeter Varronem, qui re rust. II 11, 9 ita explicat: *quam (lanam) demptam ac conglobatam alii vellera alii velamina appellant: ex quo vocabulo animadverti licet prius lanae vulsuram quam tonsuram inventam.* Illis autem verbis *alii ... alii* cum re vera poetae soli exhibeant voces *vellera* et *velamina,* Varronem vocare poetas ipsos probabile mihi videtur; itaque quin ille hoc loco nomina vere poetica interpretetur, non dubitem. Etiamsi notationèm Varronis, qui vocem *vellus* derivat a verbo vellendi, maxime dubiam existimamus, illud tamen certum videtur poetas hoc quidem sensu vocem semper plurative extulisse [3]).

Hos tres plurales, quos nonnulli viri docti volunt esse poeticos, nos quidem in quaestione de plurali poetico instituenda omittemus, cum viderimus non datam facultatem eos comparandi cum usu pedestri; de sequenti autem exemplo aliter censebimus, de plurali

1) Cf. Overholthaus p. 4.

2) Cf. Baehrens in adnot. ad 27, 5 facta.

3) Ita Horat. epod. 12, 21; epist. I 10, 27; Ovid. met. XIV 264. Singularem contra invenies: Tibull. II 1, 62 (pro pelle); Ovid. her. XVIII 143 (pro eadem re); Mart. IV 3, 1 *vellus aquarum* = *nix.*

Digitized by Google

ignes 35, 15; 62, 7. Primum quidem mihi liceat perscrutari, quemadmodum huius verbi pluralem usurpaverint qui Catulli temporibus fuerunt scriptores.

Ac ne pluribus persequar eos plurales, qui nobis quoque Germanis videntur haud insoliti, satis sit exempla enumerasse, ut ostendam, quam varie hoc verbo usi sint Romani. Neque enim mirabimur numerum plurativum huius nominis proferri iis locis, ubi denotantur: 1) ignes in castris ad vigilandum incensi [1]; 2) signa igni data [2]; 3) compluria incendia [3]; 4) varia ignis genera [4]; 5) sidera [5]; 6) varii ignes ad excruciandum incensi [6]; 7) ignes ararum deorum [7]. At ceteris locis nos, cum spectemus ad elementum ipsum, assuevimus ponere singularem, ita ut haereamus in usu Romanorum, qui ut vim vigoremque augerent, pluralem adhibuerunt. Huc referendos esse censeo plurales cum verbis inferendi, iaciendi, extorquendi coniunctos; quae quamquam plerumque iunxerunt Latini cum singulari vocis ignis, tamen non desunt loci, ubi pluralis legatur [8]. Atque illum numerum praecipue cum verbis iaciendi et extorquendi coniunctum (Sall. hist. 67, 17; Cic. Pis. 26; Planc. 98) intellegendum esse de singulis taedis, quibus domus incendantur, per se patet; aliis autem in exemplis cogitandum esse puto de actione iterata. De iisdem lignis ardentibus accipiendam esse mihi constat illam verborum iuncturam, quam legimus Cic. Pis. 42, nat. deor. II 27 [9]. Porro idem, quem omnino plurali usurpando indulsisse imprimis in abstractis tractandis intelleges, eo numero denotat ignem Aetnae montis [10]; nec id mirum; complures enim esse ignes, quos nos vertimus 'Feuer-

---

1) Cf. Caes. b. G. VI 29, 5; b. c. III, 30, 5; III, 50, 2; Sallust. Iug. 106, 4.

2) V. Caes. b. G. II 33, 3.

3) Cf. Cic. Cat. III 2; har. resp. 45.

4) Cic. nat. deor. II 41.

5) Cic. acad. II 61; nat. deor. I 22; 103; II 41; 91; 92; Tusc. I 43; republ. VI 15.

6) Veluti Cic. Verr. V 14; 163.

7) Cic. har. resp. 57.

8) Cf. Sall. hist. p. 152 C (Maurenbr.); Caes. b. c. II, 2, 6; Cic. Pis. 26; Cat. III 22; har. resp. 15; Planc. 98.

9) Cic. Pis. 42: *etiam si in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur;* nat. deor. II 27: *quae (aquae) ecfervescunt subditis ignibus.*

10) Cf. Cic. Verr. II 76; IV 106.

Digitized by Google

säulen' elucet, ut alia mittam, ex Ov. Met. II 220 [1]). Plane idem valet de plurali in § 48 orationis pro Aemilio Scauro habitae; ubi ignem hinc illinc erumpentem ostendi putes. De plurali autem in Cic. har. resp. 4 adhibito nescio quid dicam, cum cultus Bonae deae parum notus sit, quam ut diiudicari possit, utrum complures ararum ignes arserint necne.

Ut igitur scriptores ipsi significationem vocis ignium variabant et immutabant, ita poetae in eadem re etiam longius processerunt. Ac Catullus quoque exhibet vocem *ignes*, ut denotet et lumen Vesperi (62, 7) et ardorem amoris (35, 15). — Horum priore loco quam scripturam Itali recuperavere felici coniectura ex *imbres* (T) vel *imber* (V), non vereor cum omnibus fere editoribus accipere; qua reposita vox *ignes* sane idem valet ac *lumina* (v. 2). Nec tamen inveni locum pedestrem, ubi de uno sidere eiusque lumine positus sit numerus plurativus. Quem quod Baehrensius [2]) intellegi vult de lumine Vesperi *late in omnes partes splendente,* contra dico v. 29 huius carminis singulari numero verbi ardoris eiusdem astri lumen *late splendens* reddi neque ullam exstare rationem cur hic singularis, illic pro eadem re pluralis praebeatur; quocirca alia quaedam res mihi fuisse videtur qua pluralis efficeretur. Ex ea quam modo dixi causa Overholthusii [3]), quem secutus est Benoistus [4]), mihi non satisfecit pluralis explicatio: qui viri docti numerum pluratívum revocandum esse ad radios stellae affirmant. Altero autem loco Catullus ut iam commemoravi, vocabulo *ignes* subicit vim ardoris amoris; qua significatione quamquam hic numerus est valde usitatus, tamen semel et saepius singularis legitur [5]): qua ex numerorum vicissitudine perspicue elucet, illam immutationem non contineri numero pluratívo. Ergo et hoc et illo loco Catulliano pluralem *ignes* re vera usurpatum esse poetica cum licentia statuemus.

§ 3. Inter omnes constat Romanos Ciceronis quidem aetate in sermone pedestri eorum nominum, quae significant simplicem corporis partem, exceptis verbis *fauces* et *cervi-*

---

1) *Ardet in immensum geminatis ignibus Aetna.*
2) In adnot. ad 62, 2 facta.
3) L. c. p. 4.
4) C. Valerii Catulli liber (Paris 1882) p. 539.
5) Veluti Catull. 45, 16; Verg. Aen. IV 2; Ovid. met. IX 519.

Digitized by Google

ces[1]), pluralem non admisisse, cum agatur de uno ore, uno pectore, uno tergo unius hominis. Neque illud nos fugit scriptores exceptis eis, qui temporibus extremis erant, usos esse numero singulari eorum etiam tum, cum dicitur de corporis parte complurium hominum[2]). Poetarum autem est iis ipsis locis pluralem usurpare, ubi loquuntur de uno animali. Quamquam qua ratione viri docti p. 5 allati hunc pluralis usum interpretati sint, probare non possum. Neque enim mihi quidem ullam habere videtur persuadendi vim, quod docent illum numerum spectare ad singulas corporis partes; nam usus communis iamdudum singularem comprobaverat solam rationem dicendi. Ad absurdum vero descenderunt ii, qui sibi persuaserunt numero illo plurativo exprimi totam corporis pulchritudinem[3]). Sed, ne longus sim, iam ad singula transeamus atque incipiamus ab eo exemplo Catulliano, quod efficitur voce *terga* 63, 10. 81.

Atque priore loco poeta verbis *terga taurei* denotat tympanum. Ubi e genetivo qui est *taurei* colligendum est scriptores, si illis licuisset uti hac circumlocutione, eam singulariter posituros fuisse. Idem iudicabis de altero loco; nam etsi Cybele compluribus leonibus resolvit iuga (v. 76), verba facit de uno tantum (vv. 78—83); Catullus autem poeta de hoc uno leone dicit *terga caede.* Nec tamen quisquam operae pretium putavit his pluralibus adicere explicationem peculiarem; quo facto bene sibi consuluerunt; etenim si conatus eris his locis supponere definitiones supra allatas, earum vanitatem videbis.

Veniendum ad pluralem *membra* 63, 6, quo poeta designat membrum virile. Sed me quidem iudice non satis liquet, utrum Catullus illo plurali usus sensu generali ponat omnia membra unius mentulae loco, an sensu qui vocatur praegnanti membri vocem exhibeat pro pene; itaque illud exemplum ad propositam quaestionem disceptandam nihil valere apparet.

§ 4. Consentaneum est in oratione soluta ea nomina, in quibus inest notio regionis vel loci, pluraliter tum modo efferri, cum agitur de vera eorum multitudine; at poetae adhibent harum vocum numerum plurativum iis quoque locis, ubi quaestio

1) Cf. Neue I p. 672 sq.
2) Ita Caes. b. G. I 32, 2; Cic. Mil. 79; Mur. 44.
3) Sic Bach apud Kuehnerum (II § 23, 2 b.).

Digitized by Google

est de una tantum regione. Quorum pluralium causam, ut exemplum exponendi rationis eorum virorum, quos p. 1 adnot. 1 enumeravi, afferam, Iacobus[1]) repetit ex Romanorum amore rerum rusticarum; quo poetas non mediocriter impulsos esse censet, ut rebus, quae in agris campisque conspiciantur, commemoratis aliquid in descriptione adderent et simplicem earum naturam copiosiore ratione exornarent. Haec explicatio quid sibi velit, aperte confitetur Spitta[2]), cum dicit notiones amplificandi, quae in universum accedant, esse notiones occulti abditi clandestini tuti! Vides igitur illos non veritos esse plurali vim cuiuslibet epitheti attribuere; nos autem ut demonstremus illarum definitionum pravitatem, animos iam convertamus ad singula exempla Catulliana ac primum agamus de verbis mare significantibus.

Ponit igitur vocem *maria* ipsam de uno tantum mari 63, 1; 48; nam cum Attis e Graecia navigaverit in Phrygiam, non agitur nisi de solo mari Aegaeo. Itaque equidem nescio, quidnam Baehrensius censeat, qui ad v. 1 adnotet '*maria, quae vix dubium est quin de pluribus maribus sint intellegenda.*' Non minus ambigua est explanatio pluralis v. 48 adhibiti, quo comprehendi putat ingentem atque immensum pontum id, quod ipso attributo *vasta* aperte exprimitur. Similem interpretationem Overholthusius plurali subicit, cum dicit p. 6: *quod Attis stans in litore Troiae visit, re vera unum tantum mare est; sed qui mare latissime patens et in diversas partes extentum conspicit, facillime existimare potest se compluria maria videre*; *accedit, quod Attis regionis plane ignarus est.* Contra mihi quidem persuasum est Attin non ignorasse locum ubi esset; quod luculenter cognoscimus e versibus sequentibus, imprimis e vv. 52. 70. 71. Porro quod vir doctus opinatur, plurali denotari partes diversas in quas mare extendatur, nobis, si illa explicatio esset recta ac vera, censendum esset poetam violenter se gessisse. Nam v. 40 ubi *mare* universus atque ingens pontus vocatur, quem in perquam multas partes divisum esse liquet, certe longe maiore iure usurpatus esset numerus pluralis, si fuisset tanta vi.

Parem explicandi rationem reperimus in voce *aequora* 11, 8; quae proprie significat planitiem atque interdum dicitur modo

---

1) Iacob l. c. p. 18.
2) L. c. p. 26.

Digitized by Google

cum additamento modo sine additamento de planitie terrae seu agrorum. Speciatim autem ac frequentius ponitur pro mari ac quidem proprie de ponto tranquillo, ut docet Varro ling. lat. VII 2, 23 et Cicero acad. fr. 3: *quid tam planum videtur quam mare? ex quo etiam aequor illud vocant poetae.* Neque autem id semper servant poetae; atque ut quaeram, quomodo usi sint hac voce scriptores Catulli aetate, dicendum est apud Caesarem eam omnino non legi. Quod autem attinet ad Sallustium, illius aequalem, Donatus, ille quarti saeculi grammaticus, ad Terent. Phorm. II 1, 13 ita exponit: *Sallustius: nam quidem a Pyrrho, Hannibale, et aequore et terra.* Ubi duo testimonia confusa, quorum prioris extrema, alterius prima verba exciderunt; ac ne illud quidem certum est, num alterius Sallusti fuerit. Sed tamen e Ciceronis exemplis dilucide colligendum est scriptores illius temporis aequoris nomine sine additamento non esse usos, nisi cum afferrent locos poeticos [1]) nec pluraliter nisi cum agatur de vera multitudine planitierum [2]). At aliter faciunt poetae, qui et sine additamento vocem usurpant et plurative de una tantum planitie maris. Ac Catullus de compluribus maribus summo iure ponit *aequora* 64, 7. [3]) 206. 101, 1; sed semel 11, 8 ut iam commemoravi pluraliter profert verbum, ubi de uno mari Aegyptio dicitur. Quem numerum inexspectatum Overholthusius (p. 6) ita interpretatur: *quum in eodem mari diversa spatia plana i. e. aequora discerni possint, pluralem propriam suam vim tenet.* Fateor me non intellegere, quomodo discernantur in eodem mari compluria spatia plana; quod etiamsi fieri posset, illud non satis liquet, quibus causis permotus hic distinxerit diversas planities maris, non item 4, 17, cum neque hic neque illic quicquam valeat ad sententiam, immo etiam eam turbet. Omni persuadendi vi caret etiam Baehrensii explicatio, qui in plurali inesse notionem latitudinis contendit. Ceterum de hac re confer ea, quae in exordio huius paragraphi exposui.

Iisdem nostris argumentis refutatur, quod viri docti de immutatione *marmora pelagi* 63, 88 censent. Nec tamen hic pluralis

1) Cf. Cic. nat. deor. II 108; div. I 98.

2) V. Cic. div. I 98.

3) Hoc loco quamquam poetae, qui dicere vult Argonautas primos hominum per mare vectos esse, nullius momenti est compluria maria designare, per quae illis vehendum erat in Colchos, tamen non cogimur singularem poscere.

Digitized by Google

confert ad quaestionem diiudicandam; nam poetae soli tribuunt eum mari vel quia cum ventis commovetur candescit, ut est apud Lucret. II 763 sq., vel quia aequum et planum est; scriptores autem non adhibent verbum nisi propria significatione.

Ut iam ad finem nominum mare denotantium perveniam, restat, ut tractem de vocabulo *vada* 63, 47. Quod in prosa oratione Catulli aetate non invenitur nisi cum idem valeat ac vernacula vox 'Untiefe', atque tum — nec id mirum — etiam plurative positum. Apud hunc autem poetam, ut alios mittam, mare denotat semper pluraliter elatum. Semel quidem (scil. 64, 6) cogitari licet de compluribus maribus; duobus autem alteris locis sermo non potest esse nisi de uno mari. Etenim 63, 47 Attis e monte descenderat in litus maris i. e. Aegaei; 64, 58 autem Theseus, qui Ariadnam reliquit in litore Diae insulae, navigat Athenas; unum igitur mare atque idem Aegaeum *pellit remis*. Quibus pluralibus ii, qui Catulli rationem dicendi perquirunt, non adhibent explanationes peculiares; potius idem sentire videntur ac de voce *aequor;* nobis tamen hoc exemplum in dubio relinquitur, quia occasio non datur afferendi locos pedestres. Quamquam id statuendum est vocem *vada* a poetis pro uno tantum mari semper pluraliter poni usque ad eos, qui Ovidio succedunt [1]).

Simili modo poetae verbum *flumina* persaepe adhibent, cum agatur de uno tantum fluvio. Ac sic Catullus plurali huius nominis utitur 64, 89. 360, ubi dicit de Eurota [2]) vel Scamandro. Qui usus quin sit vere poeticus, nemo me iudice dubitat; quare animos statim intendamus ad vocabulum *litora* 64, 74. 121. 172; 66, 58. Quod verbum a Cicerone pluraliter non profertur nisi cum sermo est de multis litoribus; Catullus autem, ut alios nunc mittam, pluralem adhibet de litore unius oppidi (Gortynos 64, 74; Gnossi 64, 172) et de uno litore Diae (64, 121) atque Aegypti (66, 58). At non confugiam ad illas artificiosas explicandi rationes, quas Spitta (p. 26 sq.) et Overholthusius (p. 5) commendant; nusquam enim in sermone pedestri Romanorum repperi

1) Cf. Maass l. c. p. 525 adnot.

2) *Eurotae* legam cum Schwabio. Quod Baehrensius e tradita lectione *europe pergignunt* (G et O), quam iam Itali mutarunt in *Eurotae progignunt* coniecit, ut violentam coniecturam reiciendum esse censeo; accedit, quod ille non recte opinatur nullo loco narrari de myrtis Eurotae; namque Pausanias III 22, 9 de eis loquitur.

Digitized by Google

pluralem, quo contineri etiam loca circumiacentia putare cogimur. Atqui manifestum est in oratione et numeris stricta et soluta paribus modis parem res contemplandi rationem indicari.

Reliquum est, ut agamus de voce *sola* 63, 7. 40; quae quod idem valens ac nostrum 'Fussboden' et 'Fufssohle' pluraliter ponitur, vix miraberis: proprie autem, ut locis Catulli de quibus quaestio est, significat idem quod *fundus* et pluralem non admittit. Quamquam poetae aliter agunt: e quibus Catullus profert numerum pluratívum 63, 7; quem Overholthusius (p. 6) ita explicat: *ubi plurali diversa loca, quae sanguine maculantur,* *pulchre* (!) *oculis subiciuntur.* Nimirum is, qui ita interpretatur, cogitat de iudice aliquod crimen indagante, minime vero de poeta divino, cuius summa lex est pulchritudo [1]; pulchrum autem illum interpretandi modum nominare vix poteris. Quae cum ita sint, concedes aliam esse causam eamque poetis propriam, ex qua numerus pluralis positus sit.

§ 5. Quod initio paragraphi antecedentis de nominibus, in quibus inest regionis notio, diximus, idem valet de vocabulis quibus habitationes earumque partes continentur; ac tamen inveniuntur haec quoque verba pluraliter elata, cum sermo sit de una tantum domo eiusve parte. Cui plurali cum adhibeant viri docti eandem interpretationem atque illis, mihi liceat statim progredi in medias res. Catullus enim primum utitur plurali vocis *sedes* 64, 43. 48. 85. 160. 176. 229. 292; 67, 4 de uno domicilio: quem Overholthusius (p. 5) accipit de domo regia, de qua semper hunc numerum usurpari putat. Ideo stupet pluralem, qui 67, 4 de privati hominis domo ponitur. Ad eandem fere exponendi rationem prolabitur Baehrensius, qui in adn. 64, 43 *sedes* pluraliter positas iudicat, ut demonstretur ingens aedificii amplitudo. Sic explicanti maxime ingratum est interdum etiam de singulorum aedibus pluralem vocis usurpari; quod nos non mirabimur, si perspexerimus, quemadmodum hoc nomine usi sint scriptores. Ac Cicero quidem persaepe de unius hominis eiusque privati domo ponit numerum pluratívum; eum legi de republ. II 19: *Demaratus . . . in ea civitate domicilium et sedes*

---

1) Cf. O. Weise, Charakteristik der lat. Sprache. Lips.² 1899. p. 78 sqq.

Digitized by Google

collocavit ac saepenumero alibi. Quae cum ita sint, neque haerebimus in plurali *sedes* a Catullo usurpato nec descendemus ad artificiosas illas explanationes.

Ad alium vero explicandi modum progrediemur usum vocis *tecta* 64, 75. 246. 276 pertractantes. Quod verbum proprie significat superiorem domus partem, qua ceterae teguntur: sed apud scriptores semel atque iterum legitur pro domo ipsa [1]. Poetae vero hic illic de uno tantum aedificio ponunt numerum plurativum, quem commentatores [2] intellegunt de variis locis tectis unius domus. Quae explicatio non displicet 64, 75, ubi de regia Minois dicitur *Gortynia tecta;* idem valet de illa vere poetica distributione, qualis est *domus tecta* (v. 246); at num idem putari licet de ea verborum iunctura, quae est *vestibuli tecta?* Vestibulum nonne est unus locus tectus? Contra de multis illis ac variis labyrinthi flexibus praebetur huius vocis singularis v. 115; vides igitur, quam prave ac violenter se gessisse poeta putandus esset, si illa interpretatio verbi vera esset.

Etiam de quibusdam partibus aedificii quales sunt ianua vel ostium et limen poetam pluralem posuisse pro exspectato singulari sunt qui censeant. Nam de voce *ianuae frequentes* 63, 65 Baehrensius in adnotatione huius versus dicit: *pluralem ad similitudinem illius 'fores' fictum puta;* porro verba *limina tepida* 63, 65 Riesius vertit: 'die wärmende Schwelle'; ex quo colligi debet illum virum doctum vocem *limina* habere pro plurali poetico. At de hac re saltem dubitari potest; neque enim satis certum esse putaverim, utrum de pluribus ianuis et liminibus unius thalami pluralis accipiendus sit necne. Itaque neque negare neque affirmare ausim in verbis *ianuae* et *limina* 63, 65; 66, 17 et *ostia* 61, 231 inesse pluralem poeticum.

Alio autem loco vocem *limina* usurpatam invenimus significatione immutata; 64, 271 enim legimus: *vagi sub limina solis.* Primum tamen nobis tractandum est de varia librorum lectione. Nam codices G et O exhibent *sublimia;* hoc ut e mendo librarii natum Baehrensius correxit in *sub lumina,* cum *sub limina,* quod Itali

1) Veluti Cic. Att. V 16; Rosc. com. 12; Verr. VII 10; Caes. b. G. I 36, 7. Ac pluralis de compluribus Cic. Cat. III 12; Agr. II 33; Sall. Hist. p. 152 C; p. 164 fr. 15 (Maurenbr.).

2) Ita Riese ad 64, 246. 276.

Digitized by Google

iam emendaverunt, malum esse ei videatur. Ac certo nullo alio loco reperitur haec verborum coniunctio; quamquam probabilis mihi est Italorum emendatio, quae et lenitate commendetur nec careat probo sensu. Namque optime ille locus, ubi caelum et mare cohaerere videntur et cotidie sol enascitur, *limen solis* appellatur. Nec tamen me quidem iudice hoc loco diiudicari potest, num pluralis sit dictus poetica cum licentia, nisi forte argumentaris e praeceptis logicis. Hac autem in re assentior Maassio, qui p. 480 in quaestione quae est de plurali poetico excludit omnes locos, qui cum scriptorum ratione dicendi conferri non possunt.

Idem dicendum est de illa poetica circumlocutione, quae fit per voces: *templa deum* 66, 63. Sed liceat mihi uberius agere de illa mira immutatione pro caelo adhibita, quam nemo adhuc diligentius tractaverit. Templum enim proprie vocatur decussatio limitis decumani ac cardinis; quocirca apud fabros tignarios posteris temporibus *templum* dicebantur duo tigna decussatim alterum supra alterum posita[1]). Quantum autem haec decussatio linearum caelestium, ad quam referenda sunt omnia quae ad auguria pertinent, valuerit apud Romanos in agris distribuendis, in templis, oppidis, castris construendis, Nissen[2]) dilucide ostendit. Ex iis ipsis rebus auguralibus haec immutatio orta esse mihi videtur. Neque enim cogitari potest de caeli locis interioribus; quod patet ex eo Catulli loco, ubi narratur Berenices crinem ad caelum sublatum esse ut sidus. Idem elucet e locis Ennianis; nam in A. 541, qui versus talis est: *contremuit templum magnum Iovis altitonantis* certo de hemisphaerio caeli vox accipi debet. Praeter hunc locum singularem huius circumlocutionis non inveni; sed apud eundem bis legis pluralem. Namque A. 49 talis est: *quamquam multa manus ad caeli caerula templa Tendebam* ... Quo versu Ilia sorori enarrat somnium, quod modo vidit; in quo manus tendebat *ad c. c. templa*, ut patrem, qui ei vaticinatus abiit, revocet. Hic dixerit quispiam *templa* intellegenda esse loca interiora caeli. Sed contra moneo morem fuisse veterum *πρὸς αἰθέρα* dicere et

1) Cf. Fest. Pauli p. 367, 14: *templum significat ... et tignum quod in aedificio transversum ponitur.* Vitruv. IV 2, 5, 7, 5 (p. 10, 4; 100, 17 Rose).

2) Das templum, antiquarische Untersuchungen. Berlin 1869.

Digitized by Google

somnia et questus[1]). Alter id genus locus apud Ennium est A. 65: *Unus erit quem tu tolles in caeli caerula Templa* . . . Quo versu continetur vaticinatio consecrationis regis Romuli, quam recepit ad verbum Ovidius in met. XIV 814 et fast. II 487. Hic quoque cogitaverit quispiam de locis interioribus caeli. Sed poetam etiam hoc loco maxime in animo habuisse hemisphaerium caeli facile intelleges ex additamento *caerula.* Cuius ad versus memoriam revocari potest illud, quod legis apud Cic. republ. VI 24: *Romuli animus haec ipsa in templa penetravit.* Etiam Lucretius, illius aequalis, semel exhibet hanc immutationem VI 388. Hac explanatione mihi videor ostendisse, unde ortum sit illud *templa caeli* vel *deum* et similia. Neque vero colligere potuimus, num pluralis poeticus sit in verbis de quibus quaestio est, cum praeter illum locum Ciceronianum, in quo Ennii vestigia deprehendimus, nulla praebeatur comparandi occasio cum usu scriptorum.

Ut iam in re coepta progrediar, mihi dicendum est de nonnullis aliis locis, quae similia sunt habitationum. Ac primo obtutu mirabimur, quod 62, 39 pluralem *horti* legimus; nam unus flos sane in uno tantum horto nasci potest. Sed saepius apud Ciceronem[2]) et posteriores scriptores nobis occurrit numerus huius vocis plurativus, qui denotet illud, quod teutonice est 'Park', cum singularis significet hortum olitorium. Quam ob rem verbum poetica cum licentia pluraliter esse elatum negamus; illud autem contendemus de sequenti. Nam 64, 368 de uno Achillis cumulo videmus usurpatum pluralem *sepulcra.* De quo nec Baehrensius nec Riesius quicquam dicunt; atque hac re bene sibi consuluerunt. Qui ipsi me quidem iudice senserunt consuetam explicandi rationem hoc loco esse absurdam. Overholthaus quoque, qui p. 6 l. c. de eo plurali verba facit, caute explanat: *alia denique pluralia, quibus posteriores poetae ad res amplificandas*

---

1) Ita legimus in Eur. Androm. v. 93:

ἡμεῖς δ', οἷσπερ ἐγκείμεσθ' ἀεὶ
θρήνοισι καὶ γόοισι καὶ δακρύμασι
πρὸς αἰθέρ' ἐκτενοῦμεν e. q. s.

et in Eur. Iph. Taur. v. 43:

ἃ καινὰ δ' ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα
λέξω πρὸς αἰθέρ' e. q. s.

2) Veluti de Drusi hortis: Att. XII 21, 2; 22, 3; 23, 3; 25, 2; de Epicuri hortis idem de fin. V 3.

Digitized by Google

saepissime diversisque rationibus uti solent, apud Catullum sequuntur e. q. s. Ex quo elucet virum doctum illum interpretandi modum non aperte ausum esse ad Catullum vel potius ad hunc locum referre.

Restat, ut de plurali *Aonios specus* 61, 28 loquar, sub quo intellegendum est illud antron, quod in monte Helicone situm commemoratur a Strabone[1]). Nusquam tamen duo specus vel complures nominantur. Atqui non manifestum est, num hoc loco Catulliano agatur de vero plurali poetico; fieri enim potest, ut poeta illa cum licentia, quae poetis est concessa ac persaepe cum in aliis tum in rebus ad terrarum descriptionem pertinentibus cognoscitur, re vera dicat de compluribus antris; fortasse cogitavit simul de illis Parnassi montis specubus, quarum, ut exemplum afferam, Columella[2]) mentionem facit.

§ 6. Hac in paragrapho nobis disserendum est de duobus pluralibus, qui ad nullam antecedentem partem se applicant. Quorum prior est in vocabulo *funera* 64, 401, quod quamquam per se denotat pompam quae fit in exsequiis, interdum in usum vocatur de ipsa morte. Quam verbi significationem reperimus hoc loco, ubi cum pater optet mortem *primaevi filii,* ex illo genetivo singularis exspectamus eundem numerum. Pluralem autem Baehrensius censet usurpatum esse amplificationis gratia. At nemo usquam intelleget, quid haec amplificatio sibi velit, quae potius a sententia aliena contextum turbat. Atque is, qui ut Spitta (p. 17) sibi persuasit in hoc plurali inesse vehementem animi commotionem, pluralis naturam prorsus non novit. Quam absonae sint hae duae definitiones, promes ex Enniano epigrammate V. 17, ubi poeta de se ipso suisque exsequiis verba facit et de ea re utitur vocabulo *funera;* neque enim hoc loco ei ipsi, qui pluralem in Catull. 64, 401 traditum explicant, contendent poetam talibus causis permotum usurpasse pluralem, quod sane ridiculum esset.

Postremo disputandum est de plurali *tegmina* 64, 129, quo designatur amictus ille, quem delapsum esse 63—65 enarratum

1) Strabo 9, 410: *ἐνταῦθα δ' ἐστὶ . . . καὶ τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον*; 10, 471: *τόν τε Ἑλικῶνα καθιέρωσαν ταῖς Μούσαις Θρᾷκες οἱ τὴν Βοιωτίαν ἐποικήσαντες, οἵπερ καὶ τὸ τῶν Λειβηθράδων νυμφῶν ἄντρ ν καθιέρωσαν.*

2) Colum. X 267: *antraque Castaliis semper rorantia guttis.*

Digitized by Google

est. Singularis postulatur usu pedestri ac sensu; sed cum commentatores non addant explicationem peculiarem, non habeo, cur hic plura dicam.

Hac igitur dissertationis parte luculenter mihi videor ostendisse tria esse genera pluralium concretorum, qui a viris doctis vocantur poetici. Ac primum quidem refutavimus nonnulla exempla, quae cum usu pedestri collata non pertinere ad pluralem poeticum censuimus; sunt haec: *gingivae, medullae, sedes, horti.* Ad eos prope accedunt ei plurales, de quibus quaestio in dubio relinquitur; hi sunt: *membra* 63, 6; *limina* 63, 65. 66, 17; *ianuae* 63, 65; *ostia* 61, 231; *specus* 61, 28. Deinde tractavimus eos, qui cum comparari cum usu prosaico non possint, incertum est sintne habendi pro poeticis; tales sunt: *lymphae, spumae, vellera, marmora pelagi, vada, limina solis, templa deorum.* Relinquuntur nonnulli plurales vere poetici, qui quibus de causis positi sint postea erit tractandum; hic autem simpliciter eos enumerabo: *ignes* 31, 15; 62, 7; *terga* 63, 10. 81; *maria* 63, 1. 48; *aequora* 11, 8; *flumina* 64, 89. 360; *litora* 64, 74; 121; 172; 66, 58; *sola* 63, 7. 40; *tecta* 64, 75. 246. 276; *sepulcra* 64, 368; *funera* 64, 401; *tegmina* 64, 129.

B. De abstractis.

Altera primi capitis parte mihi proposui quaerere, quomodo usus sit Catullus numero plurali eorum nominum quae vocantur abstracta; sed priusquam transeamus ad ea perlustranda nomina, quae servaverunt propriam suam naturam, nobis agendum est de eis, quae usurpata sunt concretorum loco ac propterea illis proxime se applicant.

§ 7. Constat scriptores Romanorum iam priscis temporibus verba abstracta non raro posuisse pro concretis: plurima autem substantiva, quae huc pertinent, vel ad homines laudandos vel vituperandos usurpantur [1]). Quae dicendi ratio, cum apud neminem esset usitatior quam apud veteres comicos, e sermone communi fluxisse mihi constat. Posteriores tamen longius processerunt, cum alia genera huius denominationis formarent, quae Ciceronis aetate ita percrebuerat, ut auctor ad Herennium eos

1) Cf. F. G. Holtze, Synt. prisc. script. Lat. Lips. 1861. p. 1—6.

Digitized by Google

vituperaret, qui ea uti assueverant [1]). De usu autem Ciceroniano ipso Iulius Lebreton nuper elegantissimam conscripsit commentationem [2]); quam lege ut intellegas, quatenus hic loquendi usus pateat. Sed nos cum ad Catullum ipsum animos convertamus, non disseremus de tota hac quaestione, sed, ut nostri est propositi, de pluralis tantum eiusmodi usu [3]). Atque hac in re etiam ea sunt mittenda, quorum transnominatio non continetur solo plurali; id genus exempla apud hunc poetam haec tantum leguntur: *lepores, deliciae, amores;* de verbo *lepores* tamen, quo 32, 2 appellat Ipsitillam amatam, dubitare potes. Namque tali sensu praeter hunc locum unum tantum invenis, scil. Plaut. Cas. 235, ubi singularis exstat. At vox *deliciae,* qua Catullus usus est 2, 1 et 3, 4 pro passere Lesbiae, 6, 1; 32, 2; 74, 2 pro amica aliqua, quamquam idem Plautus uno loco praebet eius singularem, nimirum Poen. 365, pro plurali tantum est habenda, cum alias semper hoc numero efferatur, veluti Plaut. Pseud. 180. 227; Stich. 742; Cic. Tusc. I 77; de Div. I 79; Phil. VI 12; ad Att. 16, 4. Sed iam ad vocabulum *amores* tractandum nos accingamus, quo significatur is, qui amatur sive amica sive puer delicatus. Ac sic primum id usurpat Plautus his locis: Curc. 357; Mil. 1377; Stich. 737; Poen. 209; quem secutus est Lucilius, qui exhibet *amores* v. 612; in prosa autem oratione Catulli demum temporibus occurrit atque apud eundem Ciceronem, scil. ad Att. 2, 19; 16, 2; de Div. I 79; Phil. VI 12; XIII 26. Atque ut iam exempla Catulliana absolvamus, apud hunc invenimus *amores* pro amica: 6, 16 (= *scortum* v. 5), 10, 1 (= *scortillum* v. 3), 45, 1 (= *Acmen* v. 1), 64, 27 (= *Thetin*) et de puero amato: 15, 1 (= *puerum* v. 5) ac 21, 4 (= *puerum* v. 11); uno autem loco non satis liquet, utrum poeta de Lesbia sua loquatur an de puero delicato; verum mihi quidem certum videtur Catullum Lesbiam amatam non nominasse illo nomine, quod apud hunc semper usurpatum esse existimo sensu quodam abiecto, potius verbis *mea vita* (velut 109, 1) vel *mea puella* (ut 2, 1; 3, 3. 4. 7; 8, 4. 7). Sed utut res se habet, illud sane constat voce *amores* cum pronomine possessivo coniuncta apud hunc semper appellari quoslibet homi-

---

1) V. IV 32, 43 (ed. Marx.).

2) Cf. La langue et la grammaire de Cicéron. Paris 1901. p. 38—74.

3) De tota quaestione legas: Overholthaus p. 8; B. Ziegler, de C. Valeri Catulli sermone quaest. sel. Friburgiae Bris. 1879. p. 17—21.

Digitized by Google

nes[1]; itaque quamquam viri docti de 38, 6 (*sic meos amores*) interpretando inter se vehementer discrepant, nos iudicamus verbis *m. a.* hominem nescio quem denotari.

Sed difficilior fit res eo loco, quem scriptum legis 13, 9: *sed contra accipies meros amores,* ubi contra reliquos codices O exhibet *meos amores.* Quae lectio si esset firma, designaret aliquem hominem, ut modo vidimus. Quodsi Catullus hoc versu dicere vellet: remunerationis loco tibi narrabo de puero meo, tota sententia esset perturbata; sin autem cogitares de Lesbia, versus sequentis verba prorsus abhorrerent ab iis, quae omnibus aliis locis magno cum animi motu facit de muliere dilecta. Accedit, quod ita verbum *accipies* idem valeret atque *audies;* at illo verbo *dabo* (v. 11) postulari, ut *accipies* intellegatur pro *nancisceris, adipisceris,* a vero minime recedere censeo; denique *meros* a re diplomatica ut difficilius elegantiusve plus habet fidei: ergo hanc lectionem reliquorum codicum retinendam esse puto. Sed nunc quaerendum est, quomodo *meros amores* explicemus. Ac Riesius quidem (in adnot. h. v.) existimat *amores* significare deos amoris ipsos, cum plurali huius verbi semper denotetur aliqui homo. Aliter autem rem se habere ex iis exemplis colligere poteris, quae reperies 7, 8; 64, 334. 372; 68ᵇ, 69; 78, 3; 96, 3, ubi exstat merum abstractum. Iam vero si ea, quae p. 23 dixi, revocaveris in animum, cognosces in plurali *amores* non inesse eam immutationem nisi cum pronomine possessivo coniuncto. Accedit alia causa qua improbatur *Amores* esse intellegendos; nam *Amores* (v. 9) et *Veneres Cupidinesque* (v. 12) haud mediocriter inter se discrepant, cum Amores vincantur ab unguento, quod suavius elegantiusve est illis, unguenti autem dignitas augeatur, cum dicitur Veneres Cupidinesque id puellae donasse. Immo mea quidem sententia e contextu apparet poetam, cum scriberet *m. a.,* iam in animo habuisse illud unguentum et consilio ac mente retardasse, ut Fabullum omnesque qui legerent carmen in summam adduceret exspectationem: sensu igitur quodam corporali poeta hoc loco verbum posuisse videtur. Fulcitur haec opinio loco Martialis qui

---

1) Etiam apud ceteros (cf. locos Plautinos, Lucilianum, Ciceronianos) excepto uno loco (Cic. Phil. XIII 26) semper *amores* hoc sensu coniunctum est cum pronomine possessivo.

Digitized by Google

est XIV 206, 1: ubi ille laudator atque imitator huius poetae [1]) cestum, illud Veneris cingulum, vocat iisdem verbis. In plurali autem ponendo aliquid momenti mihi persuasi fuisse similitudinem eorum, quos pro concretis a poeta adhibitos esse iam commemoravi.

Quodsi complectimur eiusmodi usum Catullianum, nobis statuendum est hunc poetam hac in re nequaquam discessisse a sermone communi.

§ 8. Iam venimus ad vere abstracta, quorum pluralibus plerumque offendimur propterea, quod nostra dicendi ratione tenemur. Nostra enim aetate perpauca abstracta pluraliter ponuntur; quamquam hic usus vetustissimis temporibus ac media aetate etiam apud nostros maiores viguit [2]); plane idem reperimus apud Graecos [3]) et apud alias gentes indogermanicas [4]). Sed tametsi multi viri docti in Romanorum usu loquendi pertractando laborem et operam consumpserunt, adhuc, quod videam, nondum exstat commentatio, qua plane ac luculenter haec ipsa res illustretur. Quam ob rem multis magnisque difficultatibus nunc obstringemur, cum ad rem tractandam aggredimur. Illud vero primum ex omnibus libellis, in quibus quaestio est de abstractis, elucet scriptores Romanorum posuisse pluralem abstractorum cum eius notionem saepe apparentem exprimere volebant [5]). Sic Catullus quoque praebet multa id genus, quae cum sint sermonis communis, in offensionem nostram cadere nequeunt; verum tamen liceat in ea inquirere, quibus homines nostrae aetatis primo obtutu obstupefiunt.

Primum quidem offendimus in plurali *amores* 68^b, 69. Ac tamen hic suam tenet vim; etenim hoc loco *amores* tamquam *gaudia amoris* intellegatur necesse est, quibus gaudiis Catullus et

---

1) De hac re vide: J. Suess, Catulliana. Erlangae 1876. p. 11 sq. et Anton. Danysz, de script. imprimis poet. Rom. studiis Catull. Posnaniae. p. 57 sq., quorum uterque neglexit hoc ipsum exemplum.

2) Cf. J. Grimm, Deutsche Gramm. Gött. 1837. p. 285, 288.

3) Cf. Kuehner, Ausführl. Gramm. der griech. Sprache. Hannover 1896. II § 348; Juhl, de num. plur. usu homerico. Halis S. 1879. p. 44 sq.; Volp, de usu num. plur. Aeschyleo et Sophocleo. Marpurgi 1888. p. 59 sq.

4) Cf. Delbrueck, Vergl. Synt. der idg. Sprachen. Strassburgi 1893. I p. 166—168.

5) Cf. Kuehner, Ausführl. Gramm. der lat. Sprache. Hann. 1878. II § 22; Draeger l. c. I p. 15 sq.; Lebreton l. c. p. 33—36 (et appendice 1).

Digitized by Google

Lesbia fruebantur — ea enim est significatio verbi exercendi aeque ac 61, 235: *exercete iuventam.* Simili ratione Horatius (carm. II 9, 10) *amores* vocat questus, gemitus amoris; quin etiam Vergilius ecl. X 53 haec habet: *tenerisque meos incidere amores Arboribus*... ubi *amores* significat nomina amatarum. Adaeque nos non conformamus numerum pluratívum vocis 'Lachen, Gelächter'; Latini vero pluralem nominis *cachinni* usurpant. Qua ex re apud hunc poetam legimus *omnibus cachinnis* 13, 5, ubi adiectivo numerali quale est *omnes* ostenditur cogitandum esse de variis ac multis cachinnorum modis. Alio autem loco invenimus immutationem e Graecorum ratione dicendi mutuatam; 64, 273 enim de undarum invicem superruentium ictu strepituque dicitur *cachinni,* quod idem valet ac voces Graecae *κυμάτων γέλασμα* (Aesch. Prom. 89. 90). Eandem circumlocutionem 31, 14 adhibitam esse censet Riese (in adnot. h. v.); sed hac in re adstipulor Baehrensii argumentationi ac *cachinni* sensu primario esse dictum puto. Duobus autem his locis numerum pluratívum tenere propriam suam vim existimo; nam quin ille strepitus undarum superruentium sit actio crebro iterata quis est qui dubitet? De altero tamen loco infra agendum erit.

Pari modo nobis primo obtutu mirum videtur, quod verbum *frigus* 28, 5 plurative ponitur, quoniam nostra vox 'Kälte' abhorret ab illo numero; sed Cicero quoque haud raro pluralem huius vocis admittit [1]) ac semper fere cum nomine *calores* coniunctum. Quin etiam Caesar, qui non affectus est illo studio pluralis abstractorum atque amore ut orator, perhibet eius numeri exempla [2]); certum igitur mihi videtur Romanos plurali expressisse iterum atque iterum apparens frigus, quod nos vocamus 'Fröste'.

Neque vero desunt, qui pluralem *furores* 64, 54. 94 putent poeticum et accipiant de magna amoris vi; nos tamen non modo negamus in plurali inesse talem potestatem, sed etiam illud *furores* iudicamus summo iure positum; namque exprimitur numero plurativo furendi actio repetita, quam reddimus nostra lingua per vocem 'Liebestriebe', quos furores per breve conubii tempus Ariadna nondum satiaverat. Aeque Cicero plurali denotat actionem

1) Cf. nat. deor. II 26, 101, 120, 151; off. II 13; Verr. V 26.
2) Veluti b. G. V 12, 6; VI 22, 3.

Digitized by Google

saepe demonstratam et sic probe loquitur de Clodii rabie factisque et aliorum [1]).

Porro cum spectemus ad nostrum dicendi usum, in nostram offensionem irruit pluralis *lepores* 12, 8, quamquam in ipso sermone pedestri interdum occurrit pluralis vere abstracti, quem cum aliquo adiectivo numerali coniunctum designare varia eius genera nemo non confitebitur [2]). Hoc autem loco per denominationem, e qua pluralis facile explicari potest, significat iocos elegantes. Denique si accuratius nobiscum reputaverimus, non stupebimus vocem *somni* pluraliter proferri 64, 331; nam dormiendi status identidem repetitus probe exprimitur eo numero, qui in soluta quoque oratione frequenter invenitur [3]).

§ 9. In alio quoque genere pluralis abstractorum Catullus prope accedit ad usum pedestrem; scriptores enim Romani ita ut Graeci [4]) illum numerum etiam eis locis admiserunt, ubi nomen revocatur ad compluria concreta [5]). Quae ratio dicendi imprimis in usum venit, cum ab abstracto pendet genetivus pluralis [6]), quamquam non desunt loci, ubi haec attractio quae vocatur numerorum non facta sit. Atque ut exemplum Catulli ipsius afferam, apud hunc mirum in modum 64, 34 sic est: *declarant gaudia vultu* [7]). Sed iam transeam ad eos plurales, de quibus quaestio est; quorum Catullus praebet haec exempla: 7, 8 *hominum ... amores;* 65, 13 *sub densis ramorum ... umbris;* 66, 2 *stellarum ortus ... atque obitus;* 66, 15. 16 *parentum ... gaudia;* 68ᵇ, 129 *horum ... furores.* Quibus adiungam eum locum, quem legis 26, 2, ubi a nomine abstracto pendent quattuor genetivi singularis: *Austri Flatus opposita est neque ad Favoni Nec saevi Boreae aut Apheliotae.* Aliud vero genus efficitur, ubicumque abstractum spectat ad complures qui verbo finito nominentur. Sic legimus 96, 3. 4: *renovamus ... amores, ... flemus*

---

1) Sic Cic. off. II 58; Mil. 32; Mur. 24; Vatin. 18; har. resp. 52; Sull. 76; post red. 11; leg. III 22.

2) Cf. Cic. orat. 96: omnes sententiarum illigantur lepores.

3) Cf. Cic. acad. II 47; nat. deor. I 82; div. I 44 alibi.

4) Cf. E. Volp l. c. p. 60 sq.

5) V. Draeger l. c. p. 15—18.

6) Cf. Lebreton l. c. p. 33.

7) De locis Ciceronianis v. Lebreton l. c. p. 36; de eis autem causis, de quibus forma 'vultibus' ipsa devitatur, v. Maass p. 542.

Digitized by Google

amicitias; quo loco *amores* referendum est ad Calvum solum, quod elucet e v. 6: *gaudet* (scil. Quintilia, Calvi uxor mortua) *amore tuo; amicitias* tamen ad unum Catullum, qui modeste ac decore de sua amicitia in fine carminis non loquitur. Ergo de externa causa factam in hoc exemplo attractionem numerorum esse statuemus.

Contra ad veram multitudinem hominum revocantur hi plurales: 31, 14 *ridete, quidquid . . . cachinnorum;* 45, 20 *mutuis animis amant, amantur;* 62, 17 *animos . . . conmittite;* 64, 34 *declarant gaudia*; 62, 15 *mentes divisimus;* 64, 14 *emersere . . . vultus* (acc. plur.). Verum tribus aliis locis res non tam perspicua est; etenim 64, 334. 372; 78, 3 *amores* pluraliter effertur, cum neque ab eo pendeat genetivus pluralis nec verbum finitum praebeat illum numerum; quamquam aliquem genetivum pluralis ut *amantum* mente supplendum esse mihi persuasi. Nam 64, 334. 372 agitur de Pelei et Thetidis amore; 78, 3 autem dicit poeta Gallum filium alterius cum coniuge alterius fratris cubare ad adulterium; itaque de mutuo inter illos amore dici potest. Accedit, quod 64, 372 et 78, 3 verbo iungendi ipso postulatur numerus pluralis, cum coniungi non possint nisi res separatae. At vere abstractum *amor* cum coniungatur cum pronomine possessivo ac propterea genetivus pluralis suppleri nequeat, invenimus eius singularem (cf. 71, 3; 109, 1).

His igitur e tribus paragraphis vidimus Catullum et cum abstractum usurparet concreti cuiusvis loco et cum ostenderet plurali affectum, statum, actionem repeti, et cum admitteret illam numerorum attractionem, non discessisse a ratione dicendi pedestri.

§ 10. Postquam in re apertissima longi fuimus, procedimus ad ea abstractorum pluralia, pro quibus scriptores singularem positures fuisse constat. Quamquam Lebreton Riemannum secutus [1]) censuit etiam apud Ciceronem inveniri quosdam plurales, quibus secundum morem poetarum notio vocis amplificaretur; sed ne temere de hac sententia iudicare videamur, exempla quibus illa nititur accuratius examinare liceat. Ac me quidem iudice ipse primus (de imp. Cn. Pomp. 66) locorum, quos Lebreton congessit et huc spectare contendit, est removendus; nam si legeris totam eam sententiam, nulla re impedieris,

1) Etudes sur la langue et la grammaire de Tite-Live. Paris 1885. p. 55 sq.

quominus ob tres genetivos singularis, qui pendent a voce *animi*, eam plurative prolatam esse concedas. Satis debilis ad Lebretonii explanationem stabiliendam est etiam pluralis *fugas* (Att. VIII 14, 1), quem e sequenti *formidines* per attractionem explicandum esse puto. Porro quattuor alios plurales ab eodem Lebretonio allatos perhibere veram pluralitatem mihi persuasum est; etenim in numerum plurativum, qui est *ingressus tuos* (in Pis. 83), inferre notionem magnitudinis nullo pacto e contextu cogimur; immo vero hic numerus obtinet suam propriam vim ac denotat actionem iteratam. Non aliam habeo explicationem pluralis *adventus meos*, qui exstat in Pis. 51; quo illos singulos adventus in variis Italiae oppidis factis reddi existimo. Aeque certum mihi quidem videtur numero plurativo qualis est *furores* (pro Mil. 32. 77) demonstrari illa multa Clodii facta impia. Relinquuntur igitur ex Lebretonii exemplis duo tantum: pro Cluent. 109 et de off. III 94. Ac si secundum in locum inquiritur, ex addito vocabulo *maximis* dilucide apparet notionem magnitudinis hoc quidem in plurali inesse non posse, nisi forte credis Ciceronem usum esse inani tautologia. De priore autem loco nobis praemonendum est apud scriptores usque ad Ciceronem numerum plurativum vocis *animi* non legi nisi apud Ciceronem ipsum. Itaque illos duos plurales accipies non cum Lebretonio de magnitudine quadam animi, sed nobiscum ab illius oratoris miro studio pluralis atque amore, qui ortus esse potest e memoria locorum poetarum.

Quoniam igitur haec Lebretonii exempla non sunt idonea, quibus nostra de vera pluralis natura opinio labefactetur, nunc cum exploramus, unde sumpserit vir doctus suam explicationem, revertimur ad poetas eorumque pluralium rationem exponendi. Qui persaepe numerum plurativum abstractorum ponunt, tametsi non pertinet ad illa genera in § 8 et 9 pertractata; quocirca iamdudum viri docti huic rei perlustrandae operam impenderunt, quorum duo genera distinguuntur. Prius ante omnes defensat Spitta, qui p. 39: *affectus,* inquit, *quum ratio, qua emicant et quasi in conspectum procedunt, accurate respondeat ipsorum vehementiae ac vigori necesse sit, eam, si pluraliter usurpantur, adsumunt significationem, quam adsequaris additis vocabulis qualia sunt forte vehemens, grave, fervidum, altum alia.* Vides igitur illum, quippe qui non recte intellegat numerorum naturam, non veritum esse plurali attribuere potestatem epitheti quod

Digitized by Google

vocatur ornantis! Nec maiorem probandi vim habet explicandi ratio aliorum, quo in numero est Braumueller (p. 15); qui viri docti praeter vim commemoratam numero plurativo adscribunt eam, qua exprimuntur aliae affectus rationes, atque ut exemplo illustrem perspicuo, plurali *luctus* etiam *fletus* et *planctus pectoris* et similia, quibus luctus aperte ostendatur, contineri affirmant. Neutrum autem interpretandi genus valere potest, cum abhorreat ab omni pluralis natura; praeterea mirum est scriptores non usos esse hac dicendi ratione, quae, cum esset tam brevis, admodum fuisset apta.

Iam animos intendamus ad singula Catulli exempla ac primum agamus de verbis *luctus* et *maerores*. *Luctus* proprie est aegritudo ex eius qui carus fuerit interitu acerbo (Cic. Tusc. IV 18); latius tamen accipitur pro dolore ex quacunque graviore calamitate concepto. Quae calamitates si repetuntur, luctus quoque iteratur; quare vox summo iure adsumit numerum plurativum. Neque igitur mirabimur, quod Cicero, cum dicit in universum de morte hominum, admittit pluralem (Tusc. V 16); adaeque iudicabimus de iis locis, ubi ille orator sub hac vocula intellegi vult varias rei publicae calamitates, veluti in Verr. III 207; de prov. cons. 32; in Pis. 22. Uno denique loco (Tusc. III 58) pluralem per numerorum attractionem ortum esse putabimus. At bis ponit pluralem, quamquam quaestio est de uno luctu unius hominis, scil. de off. I 32; III 94. Quoniam egimus de postremo loco (p. 29), satis sit commemorasse alterum eiusdem esse generis; subvenit autem nostrae rationi, quod Caesar et Sallustius huius vocis pluralem non adhibuerunt.

Catullum, qui bis exhibeat numerum plurativum nominis *luctus*, 64, 71 discessisse a sermone pedestri nego; quo loco plurali optime significantur illae animi tristes affectiones, quibus iterum atque iterum amantes opprimuntur. At contra alio loco qui est 64, 226 verbo *luctus* denotatur unius Aegei dolor ex interitu Thesei. Ergo pluralem hic poetica cum licentia usurpatum esse concedes.

Idem dicimus de numero plurativo eius nominis, quod idem fere valet ac luctus, nimirum de *maerores* 65, 15; hoc enim loco poeta loquitur de suo ex fratris morte dolore. Accedit, quod huius vocis pluralem in soluta oratione illius aetatis non legis nisi apud Cic. de fin. I 59, ubi eum intelleges ex illa generali dicendi

Digitized by Google

ratione, qua orator utitur, nisi forte eum concinnitatis causa positum esse tibi persuasisti. Apud eundem modo invenis numerum plurativum verbi *fletus* et ex causis extrinsecus positis; nam in Verr. IV 47 illud *mulierum* attraxisse pluralem non iam negabis; in Verr. III 110 autem ex illo *gemitus* concinnitatis gratia adhibitum puto pluralem, nisi pari modo e plurali verbi finiti per attractionem exortus est. Quae cum ita sint, intellegere non possum, cur numero plurativo *fletus* a poetis designentur lacrimae etiam atque etiam erumpentes [1]; illud quoque reicio plurali extolli vehementiam flendi; immo vero hoc numero repetitio tantum exprimi potest; qui quidem explicandi modus quadrat ad c. 99, 5; contra 64, 242 ex additamento quod est *assiduos* elucet pluralem poetice esse dictum.

Sed cum in his exemplis scriptores rarissime posuerint numerum plurativum, permultis locis usi sunt plurali *gaudia,* sane semper summo iure. At hic poeta ita ut alii pluralem adhibet etiam tum, cum singularis exspectatur. Namque 64, 236 agitur de uno gaudio, quod patri praebetur felici e Creta reditu Thesei; 68, 123 vero dicitur de uno heredis gaudio, quod aufertur filio nato; utroque igitur loco pluralem carere causa interna credes.

Ut omnibus his locis ita 64, 99 commentatores neglexerunt plurali *timores* dare explicationem; sed fieri potest, ut Baehrensius his verbis: *de variis periculis Theseo contra Minotauro dimicaturo ingruentibus multum metuebat* se applicare voluerit Iacobo, qui p. 11 sq. pluralem accipit de variis metuendi causis. Sed si contuleris locos Ciceronianos, qui Tusc. II 11 et de leg. I 32 pluralem ponit concinnitatis causa, de republ. I 68 autem propterea, quod in universum significantur omnia timoris genera, porro si tecum reputaveris Sallustium et Caesarem prorsus abhorruisse ab huius vocis plurali etiam tum, cum est referenda ad complures, veluti Caes. b. G. I 39, 5; III 18, 3; b. c. I 32, 8; III 64, 2, concedes usu orationis pedestris refutari hanc pluralis explicationem. Quare illud *timores* alia egere interpretatione manifestum est.

Hactenus de eis nominibus, quibus affectus quidam continetur; iam de duobus aliis inter se cohaerentibus disputemus. Nam cum nemo fere dubitet de plurali *lumina* 64, 242 oculos denotante,

1) Ita Spitta (p. 35) putare videtur; sed aperte de hac re non disserit. Seyssii autem commentatio quod mihi non est in manibus, magnopere doleo.

Digitized by Google

alibi viri docti [1]) parum probabiliter explicant hoc numero extolli notionem quae insit splendoris. Atque ut initium capiam a Baehrensio, Catulli interprete, hic autumat hunc poetam, cum 62, 2 de uno Vespere dicat *lumina,* designare lumen late in omnes partes splendens. Nos autem, qui hanc rationem reicimus, ne Overholthusii quidem explanationem, qua pluralem intellegat de singulis stellae radiis, veritatis speciem prae se ferre putamus. Neque enim in prosa oratione huius atque antecedentis aetatis occurrit unus locus, qui talem interpretationem confirmet. Non magis autem credimus in plurali *umbrae* inesse vim adiectivi eoque designari spissam quandam caliginem, praesertim cum non desint loci, ubi plurali ipsi adiciatur additamentum, quo praebeatur illa notio, veluti Verg. georg. I 342: *densaeque ... umbrae,* alibi. Sed tamen non satis constat hunc poetam, qui, ut mittam locum iam tractatum, bis perhibeat pluralem vocis *umbrae* 63, 41 et 66, 55, eum usurpasse poetica cum licentia; nam nobis quoque Germanis caligo noctis non apparet ut res simplex ita, ut etiam nostra lingua dicamus: die Schatten der Nacht.

His asseram quattuor vocabula, quae pluraliter proferri, ubi agatur de variis multisque rebus, nos quoque Germani vix mirabimur. Ac primum inquiram in vocem *conubium*, quam Catullus 64, 141. 158 plurative ponit, quamquam dicit de uno tantum matrimonio, in quod Theseus Ariadnam duxit. Quo in plurali definiendo versatus minime prolabor ad eam sententiam, qua, ut verbis istorum virorum utar, dicitur *numero plurativo magis exacui notionem vicissitudinis, qua in duas partes spectet ratio.* Namque ita explicanti id certe vitio vertendum est, quod sermonis pedestris usum prorsus neglexit: nullo loco eiusmodi pluralis *conubia* legitur; potius iudicandum est in verbo ipso inesse illam inter duos vicissitudinem. Satis improbabilis est ea quoque explanatio, quam Braumueller (p. 16) commendat; quem si secuti sub plurali intellegimus id, quod teutonice vocatur 'Heiratsanträge', in eo vehementer offendimus, quod conubium Theseus et Ariadna iam inierant. Denique quod Overholthaus censet plurali indicari *gaudia vitae coniugalis,* dilucide ostenditur, in quales spinas devenerint ei, qui pluralem semper positum esse e causis internis sibi persuaserunt.

---

1) Cf. Spitta l. c. p. 13 sq. et Braumueller l. c. p. 12.

Digitized by Google

Porro nullo negotio cognoscitur poeticam licentiam comprehendi numero plurativo *stipendia* 64, 173, quippe quo denotetur poena illa puerorum puellarumque Atheniensibus imposita. Ac si quis pluralem accipere velit de illis multae partibus, quae sunt septem virgines et septem iuvenes, ei id oppono, quod initio huius commentationis iam tractavi[1]). Accedit, quod numerus pluralis vocis *stipendium* in oratione soluta non legitur nisi in eis verborum iuncturis quales sunt *stipendia facere, merere, pendere;* ceteroquin singularis semper adhibetur atque etiam tum, cum agitur de complurium rebus[2]). Cui exemplo adiungam illud *fata* 65, 14, quod de unius Ityli morte usurpatum nos offendit. Adaeque singularem exspectas 66, 51, ubi narratur Berenices comam ad caelum sublatam esse ut sidus; pluralem autem commentatores non explicant vel potius suo modo explicare non possunt. Idem iudicabimus de plurali *facta*; etenim 64, 203 Ariadna queritur de perfidia, qua Theseus eam in litore Diae reliquit: quod quamquam est unum factum, poeta ponit pluralem. Item vocula *facta* 63, 45 significat re vera unum factum, scil. evirationem; utroque igitur loco numerum plurativum in usum vocatum esse poetica cum licentia concedes, quos cum nemo verbis illustret, non habeo, quod hic plura dicam.

Relinquuntur tres voces, quae inter se cohaerent ita, ut in sermone pedestri Catulli quidem temporibus prorsus non inveniatur usus pluralis. Constat enim verbum *tepor*, quae est vox sublimis, apud Caesarem et Sallustium omnino non occurrere; apud Ciceronem bis, ni fallor, legitur atque singulariter elatum[3]). Quodsi Baehrensius exponit *tepores* 46, 1 esse auras tepidas, commode pluralem circumit, difficultatem non levat. Non aliter res se habet de plurali *robora* 64, 4; hoc enim vocabulum quod proprie denotat quercum interdum significat vires corporis ac sensu vere concreto eos ipsos, qui robore praestant. Ac semel id inveni apud eundem[4]) usurpatum pro viris illustribus ita, ut idem valeat ac *lumen, decus* (Leuchte); quod quin de multis id genus viris pluraliter proferri possit, vix dubitabis; sensu autem supra dicto numquam legi

1) Cf. p. 8.
2) Veluti Caes. b. c. III 59, 4.
3) Cf. Cic. nat. deor. II 26; Cat. 53.
4) Cf. Cic. Cluent. 153.

Digitized by Google

pluralem apud scriptores usque ad Catullum poetam. Quare illud *robora* 64, 4 esse pluralem poeticum comprobem.

Sed ut in pluralibus poeticis percensendis ad finem perveniamus, nobis iam disserendum est de voce *otia* 68, 104. Atque quo melius, quas in argutias aberraverint viri docti ut Spitta, Iacobus, alii, intellegamus, hic quoque quaeramus de usu huius pluralis pedestri. Qua in re magnopere miramur, quod, quamquam etiam status quiescendi iterari potest, tamen usque ad Ciceronem in prosa oratione nusquam reperimus pluralem. Qua ex re colligendum est illis temporibus numerum plurativum huius verbi, quod sane valet in multis aliis, in usu communi non fuisse. Quod si isti viri docti animo perpendissent, non descendissent ad mirificam et artificiosam illam explicationem, quae continetur his verbis: *plurali numero qui ad singulas temporis considerandas partes adducit animum, notiones cunctandi et cessandi augentur*[1]. Nos ex orationum solutae ac numeris strictae comparatione in hoc quoque verbo cognovimus aliud quam significationis discrimen intercedere inter singularem et pluralem poeticum, cuius veram naturam quantum fieri possit explorare in capite sequente studebimus.

Caput II.

§ 11. Si ea, quae primo capite exposui, maiore diligentia curaque legeris, illud te merito offendet, quam variis ac diversis modis pluralem qui vocatur poeticum interpretentur ii, qui significationis aliquod discrimen intercedere inter illum et singularem autumant. Etenim modo dicunt numero plurativo exprimi augerique notionem magnitudinis; modo hunc numerum ad singulas notionis partes spectare existimant; quibusdam tamen locis per pluralem designari notionem pulchritudinis sunt qui putent. In abstractis autem explicandis ad eundem pluralem amplificationis, magnitudinis, praestantiae quidam descenderunt. Alii sibi persuaserunt plurali poetico demonstrari simul eas notiones, quae aliquam similitudinem exhibeant et vernacula voce nominentur 'Begleiterscheinungen'. Quae multa et inter se haud mediocriter discrepantia interpretandi genera si essent firma ac valida, ex mea quidem sententia veteres Latini ipsi, cum legerent poetarum

1) Cf. Spitta l. c. p. 37.

Digitized by Google

carmina, prorsus ignorassent, quid illi hoc vel illo loco sub plurali intellegi voluissent.

Alia quoque re nos quidem impedimur, quominus sequamur explicationes modo enumeratas: hae enim si valerent, permultis locis violenter se gessissent poetae. Nam quamquam interdum istae non sunt plane absurdae et ineptae, saepissime tamen sententia sic perturbatur; nusquam vero cogimur putare hic e certis causis interioribus pluralem, illic singularem ponendum fuisse; immo potius numeri, ubicumque in eadem re usurpantur, inter se commutari poterunt, cum nullo pacto varietur verborum sensus. Atque ut hic repetam exemplum iam tractatum, vv. 2 et 7 carminis 62 postulari contextu pluralem, quo maior Vesperi splendor ostendatur, v. 29 autem sententia impediri, ne illa notio speciatim exprimatur, praefracte nego.

Restat, ut pauca de veterum testimoniis addam. Neque enim illud viri docti respexerunt, quod temporibus p. Chr. n. homines grammatici, qui certe Latine sciebant, de hac mira numerorum vicissitudine censeant. Quorum iudicia, quippe cum redeant ad scripta hominum grammaticorum primi post Chr. n. saeculi, maximi momenti esse nemo sane negabit. Hi igitur dicunt *ea verba, quae proprie sint singularia tantum, cum pluraliter efferantur, non ad quantitatem, sed ad genus spectare* [1]). Priscianus vero aperte confitetur illa verba tam singulariter quam pluraliter idem posse significare [2]).

Severissime vero interpretationes antea commemoratas idcirco perstringam, quia prorsus neglegunt veram pluralis naturam; neque enim ullam linguam indogermanicam novi, ubi pluralis haberet vim epitheti ornantis. Sed hic dixerit quispiam Latinos ipsos numero plurativo nescio quo tempore attribuisse talem vim. Age, sit ita factum: cur multis locis illi plurales coniuncti sunt cum adiectivis talis vigoris, qualem sibi ascivisse pluralem viri docti volunt? His igitur locis excluditur haec pluralis definitio, quippe cum a poetis inanis tautologia admissa esset.

Certissime autem opinio de qua quaestio est eo refellitur, quod in Romanorum oratione soluta ipsa — dico sermonem pedestrem poesi non infectum — omnino non invenitur eiusmodi vis numeri

---

1) Cf. Charis. vol. I p. 35, 3 (grammat. Lat. ed. Keil).
2) Cf. Prisc. II p. 175, 19 (ibid.)

Digitized by Google

plurativi. Quamquam hoc a nonnullis viris doctis contenditur. Sed quoniam de Iulii Lebreton sententia iam egimus, nunc nobis disserendum est de ea commentatione, quam Guilelmus Landgraf nuperrime in lucem edidit[1]). Qui vir doctissimus cum negat plurales poeticos multum valuisse ad conformandam dicendi rationem sermonis pedestris argenteae et posterioris aetatis, demonstrare studet multos plurales apud scriptores legi, qui careant apertissimo pluralis poetici indicio, quod contineatur pari singularis et pluralis significatione. Ac profectus a duobus exemplis, quorum alterum est *arenae,* alterum *ignes,* statuit numero plurativo nonnumquam exprimi et tempus et spatium continuum. At primum mihi displicet eum illis duobus tantum exemplis nisum rem universam ad certam legem astrinxisse; tum rectam viam non iniit sermone pedestri argenteae aetatis comparato cum ratione dicendi poetarum Augusti temporibus florentium. Ac si animo perpenderimus loquendi usum scriptorum aetatis Ciceronianae, videbimus illos sprevisse pluralem *arenae*, ut Caesar in libris de analogia ad Ciceronem scriptis dilucide ostendit[2]). Quin etiam ille orator, qui per denominationem voce *arenae* utitur pro agris sterilibus (agr. II 27), quamquam valde indulsit multitudinis numero, singularem profert idque plurali *paludes* adiuncto. Ergo colligendum est sermoni communi, quamquam eandem habeat rationem, pluralem *arenae* alienum fuisse, quem persaepe in eadem re exhibeant eiusdem aetatis poetae. Quodsi scriptores primi p. Chr. n. saeculi atque posteriores praebent multos vocis *arenae* plurales, vix temperare nobis poterimus, quin eos pendere hac in re ab illis poetis censeamus. Sed ne iis quidem locis, quos Landgraf affert, probandae videntur eius interpretationes; neque enim semper vox *arenae* idem valet ac sabulum, sed denotat ut diximus etiam locum quemvis sterilem; quo sensu quod plurative a scriptoribus aetatis argenteae ponitur, non mirabimur, quippe cum pluralis primo insolitus per usum poetarum in consuetudinem venisset. Ac sic pluralem *arenae* Curt. VII 4, 27 facile accipere poterimus de variis Bactrianae terrae locis desertis, Mel. I 21 et Gell. V 14, 17 de Africae solitudinibus; quapropter e locis a Landgrafio allatis

1) Bemerkungen zum sog. poet. Plural in der lat. Prosa. (Arch. f. Lex. XIV p. 63—75).

2) Cf. Gell. XIX 8, 8.

Digitized by Google

relinquuntur duo tantum, ubi pluralem occurrere pro sabulone ex eis, quae antea diximus, non mirum est. Tum vir doctus plurali *ignes* ut a scriptoribus ita a poetis censet exprimi notionem aeterni et perpetui. Atque ut absolvam hanc quaestionem, primum de eis pluralibus, quibus Cicero denotat ignem Aetnae, videas quaeso ea, quae p. 11 sq. exposuimus; de Vestae autem igni eundem semper ponere singularem Landgraf ipse concedit. Porro si tecum reputaveris locis a viro docto allatis plurali saepe adiectum esse attributum quale est *aeternus* vel *perpetuus,* nullo negotio cognosces in numero plurativo hanc notionem non inesse.

Qua re pertractata nobis quidem constat sermonem communem Catulli aetate carere plurali poetico. Iam quaero, num probabile sit scriptores si pluralis fuisset tanta vi, tam plane sprevisse hanc dicendi facultatem, quae tanta bona prae se ferret. Ergo his quattuor argumentis reicio definitiones eorum, qui discrimen quoddam significationis inter singularem et pluralem poeticum eiusdem vocis intercedere sibi persuaserunt.

§ 12. Iamdudum in libellis eorum, quos in adnot. 1 p. 5 enumeravi, in offensionem illud cadere debuit pluralem poeticum contineri quibusdam nominum generibus, ut quae exhibeant in concretis verba aliquam materiam, corporis quamvis partem, loca habitationes significantia, in abstractis voces affectum quemlibet denotantes. Namque in aliis vocabulis omnino desideratur ille pluralis; atqui nescio, cur *viri* non significaret virum pulcherrimum, ut *pectora* pectus venustissimum, alia.

Non minus mirum mihi videtur, quod vel intra haec nominum genera quaedam verba prorsus non plurative ponuntur cum illa poetica licentia. Atque ut perspicuis utar exemplis, mihi liceat dicere de nominibus materiam quandam significantibus, quae per se sunt singularia tantum. Neque enim usquam legi pluralem verborum *aurum* et *argentum* [1]); ac tamen occasione data (veluti Cat. 64, 44) etiam eorum magna copia plurali exprimi potuit. Quamquam Reisig [2]) sibi videtur expedivisse hanc difficultatem, cum dicit auri argentique omnino esse parum; at quaenam est ratio ferri et plumbi [3])? Quae tametsi usurpantur pro rebus ex

1) Cf. Varr. ling. Lat. IX 40; Charis. I 34, 19—20.

2) Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft § 89, 2.

3) Catullus exhibet *ferrum* pro ense vel alia re ferrea, veluti 64, 355. 369 et 66, 42. 47. 50. Vocem *plumbum* adhibet pro stilo plumbeo 22, 8.

Digitized by Google

iis factis, singulariter semper proferuntur. Porro mirum in modum vox *sanguis* nunquam occurrit pluraliter elata, cum pluralem *cruores* persaepe positum invenias [1]). Reliquum est, ut pauca de abstractis addam. Vocis quae est *caligo* non legitur pluralis poeticus nec tamen intellegere possum, cur hoc verbum non aeque atque *umbrae* pluraliter positum denotet spissam quandam caliginem. Item numerus pluralis *clementiae* omnino non exstat apud poetas, quo eius magnitudo aut variae rationes ostendi potuerunt. Ac perfacile alia exempla afferri poterunt; sed satis est de vocibus Catullianis egisse; nam me quidem iudice his ipsis exemplis tollitur definitio a viris doctis, qui sunt Spitta, Iacobus, alii, commendata.

Quamquam his argumentis asseram aliud. Nam respice exempla pluralis poetici a nobis constituta: iam cognosces et concreta et abstracta exceptis quattuor tantum locis (scil. *factis, maeroribus, litoribus* bis posito) praebere accusativum aut neutrorum nominativum pluralis. Quodsi opponis casu id evenisse, mecum velim egrediaris extra fines Catulli usus loquendi, quippe cum haec quaestio sit summi momenti: adhuc non legi apud poetas aut epicos aut elegiacos formas quales sunt, ut verbis ab hoc poeta pluraliter positis utar, *gaudiorum, conubiorum, stipendiorum, fletuum, luctuum* similes, aut formas ut *gaudiis, conubiis, stipendiis, otiis,* alias. Atque ne tu quidem infitiaberis illis casibus, si haberet pluralis talem vim, poetam non minus apte significaturum fuisse eas notiones, quas viri docti pluralibus *gaudia, conubia,* aliis vindicaverunt. Iam his formis inter se collatis progrediemur ad veram pluralis poetici definitionem.

§ 13. Nomina linguae Latinae maximam partem sunt trochaica, iambica, spondiaca, quam ob rem versus saturnius, qui solus a Romanis ipsis procreatus est, efficitur ex illorum vicissitudine ita, ut unam syllabam longam sequatur una tantum brevis, saepe altera longa, rarissime duae breves. Ennius igitur cum a *versibus quos olim Faunei vatesque canebant* reformidans versum heroicum Graecorum inducturus esset in poesin Latinam, magnis difficultatibus obstringebatur. Namque hoc metro postulabatur, ut

---

1) Vocem *sanguis* hic praebet sexies eiusque semper abl. sing., scil. 63, 7; 64, 230; 344; 399; 66, 34; 68, 75. Verbum *cruor* legimus semel apud eundem singulariter prolatum (68, 79).

Digitized by Google

excepto sexto pede singulas syllabas longas sequerentur binae breves, quarum inopia lingua Latina premebatur. Quocirca ad varia auxilia descendit neque opus est admonere eum, qui illius hexametros legerit, de tmesi, apocopa violenti, aliis rebus; similiter res se habet in Lucilii saturis. Quamquam posteriores linguae non ita vim afferebant, hac ipsa de causa apud omnes fere reperimus maximum spondeorum numerum[1]; ac tamen illud est proprium hexametri per illos meros dactylos liquide profluere. Poetae igitur qui propriam versus heroici naturam servare volebant, id potissimum studere debebant, ut numerum vocabulorum versibus aptorum augerent. Quod ut alia nunc mittam, ita effecerunt, ut formarent pluralem qui dicitur poeticum.

Neque enim temere aut casu accidit, ut ex duodequadraginta pluralibus poeticis, quos Catullum praebere vidimus, triginta unus neutri generis sint. Neque id mirum videatur, quod omnes hos plurales neutrorum legimus in Catulli carminibus dactylicis excepto illo *aequora* 11, 8, quod in metro sapphico explet dactylum Adonii, et in metro galliambico, quod aeque ac versus heroicus complures syllabas breves poscebat.

Tales formas versui aptas optime suppeditabant primum ea neutra secundae declinationis, quae ante exitum perhibent trochaeum, cuiusmodi Catullus habet *conubium, gaudium, otium, stipendium.* Quae verba singulariter prolata prorsus abhorrent a versu dactylico, cum efficiant creticos[2], qui ut elisione versui accommodarentur in illis metris ne Catullo quidem erat concessum[3]. Eorundum numerus singularis nobis occurrit in aliis metris, ad quae aptissima erant; apud hunc igitur poetam legitur *otium* et *otio* in stropha sapphica (51, 13. 14. 15) et in choliambis (44, 15). Non aliter res se habet apud Horatium, qui in saturis et epistulis praebet pluralem, in carminibus autem et epodis eorundem vocabulorum singularem, in quibus pluralis, si notionem verbi amplificaret, multo aptius esset usurpatus[4].

---

1) Quomodo processerint poetae hac in re, optime disces e tabula Drobischii, quam Hultgren in commentatione sua (p. 759) in lucem edidit.

2) Sane quidem gen. sing. contractione versui aptari potuit; ceterum v. de hac re Maass l. c. p. 509 sq.

3) Cf. L. Mueller, de re metrica poet. lat.² p. 342.

4) Verbum *otium* singulariter ponitur: Hor. carm. I 1, 16; II 16, 1. 5. 6; IV 15, 18; epod. I 7; XVII 24 (otium); carm. I 15, 3 (otio). At *otia:*

Digitized by Google

Verum non modo totus singularis horum nominum, ut mittamus formam *otium,* quae fine eliso ante vocales poni potest, et genetivum *oti,* alienus est a metro dactylico, sed etiam genetivus, dativus, ablativus pluralis, qui aeque ac numerus singularis efficiunt creticos et ne per elisionem quidem accommodari possunt metro dactylico: relinquuntur igitur formae in *ia* desinentes. Accedit, quod quia eorum additamenta ex parte praebent eandem speciem prosodiacam, adhiberi non poterant nisi cum erant nominativi vel accusativi pluralis; huc revocari licet e Catullianis adiectivis *Gortynium, regium, Gnosium, impium, liberum* [1]).

Perinde atque illi plurales, quales sunt *otia, gaudia,* etiam neutra tertiae declinationis, quae speciem trochaei ostendunt, optime quadrant ad versum epicum et elegiacum, utpote quibus ipsis plurative prolatis dactylus expleatur. Talia occurrunt apud Catullum: *aequor, flumen, funus, litus, lumen, robur, tegmen.* Sane solus eorum dativus singularis prorsus abhorret a versu dactylico (scil. *aequori,* i. e. –⏑–) et genetivus ante consonas positus; in numero autem plurali dativus et ablativus non apti erant, qui usurparentur, nisi cum consonis commissi; qua re si animo perpenderis quartam fere partem omnium nominum Latinorum incipere ab aliqua vocali, cognosces quam difficulter illae formae potuerint adhiberi. Et genetivus pluralis eiusdem speciei est ac *gaudium;* versui igitur inseri potuit non nisi elisione mutilatus. Maxime vero idonei erant qui usurparentur in metro dactylico, ablativus singularis et nominativus vel accusativus pluralis, qui per se sint dactyli. Quod ita esse intelleges ex illorum magno numero apud omnes poetas Latinos: quod ut numeris demonstrem, Catullus in metris dactylicis undetriginta adhibet id genus neutra; quae apparent per ablativum singularis prolata septuagies novies, per nominativum vel accusativum pluralis sexagies bis; ceteri casus tricies septies apud hunc inveniuntur. Quam ob rem accidit, ut persaepe in eadem re ablativus singularis et nominativus vel accusativus pluralis invicem ponantur; iterum igitur disces significatione quidem pluralem poeticum exaequare eiusdem vocis singulari, poetas metrica ratione permotos hunc vel illum numerum

---

sat. I 1, 31; II 7, 112; epist. I 7, 36; A. p. 199; ac semel per contractionem gen. sing. *oti:* sat. I 4, 138. Pari modo *fastidia:* sat. I 10, 7; II 2 14; 4, 78; 6, 86; epist. I 10, 25; II 1, 215; contra *fastidium* modo epod. IV 12.

1) Ceterum cf. Koene l. c. p. 58.

Digitized by Google

in eadem re ponere maluisse. Eodem spectant eorum attributa, quae eiusdem speciei prosodiacae sunt; Catullus quidem unum tantum exhibet: *mollia.*

Hac re ad finem perducta pergamus ad cetera neutra. Atque ut exordiar ab illis, quae tertiae declinationis sunt, de verbo *maria* pauca sunt commemoranda. Qui pluralis raro exstat apud poetas; Vergilius solus eo decies sexies est usus; Ovidius autem, Tibullus, Propertius, Horatius, qui singularem centies ac saepius adhibent, pluralem ter tantum admiserunt [1]). Quod non mirabimur; namque illas tres syllabas breves per elisionem tantum usurpari licebat. Contra quod Catullus in metro galliambico pluralem in usum vocat, e metri rationibus perfacile explicari potest.

Paucis de *sola* plurali agendum erit. Quae forma cum ex duabus brevibus constet optime adhiberi potuit: nec mirum est quod in galliambico metro occurrit.

Nunc vero quaestio est instituenda de illis secundae declinationis neutris, quae ante exitum ostendunt syllabam longam ita, ut singulariter prolata, nisi nominativus vel accusativus ante vocalem positus elisione mutilatur, semper efficiant graves spondeos, quibus numerus languidior fit. Idem valet de omnibus pluralis casibus exceptis formis in *a* exeuntibus: eaedem offerunt syllabas breves poetis et epicis et elegiacis gratissimas. Neque aliter iudicandum est de adiectivis eandem speciem prosodiacam praebentibus; cuiusmodi Catullus praebet haec: *altum, curvum, dirum, durum, exspectatum, laetum, paternum, spumosum.* Nomina autem id genus substantiva Catulliana exstant haec: *factum, fatum, sepulcrum, tectum, tergum.*

Omnia haec neutra, de quibus modo egimus, exhibent formas in *a* desinentes; relinquitur autem *litoribus,* quod bis positum est. Ac quod 66, 58 dativus pluralis offertur, non mirum est, quoniam dativum singularis alienum esse a metro dactylico p. 40 vidimus. Contra 64, 74 *litoribus* est ablativus; hoc autem loco si additamentum singulariter elatum esset, hiatus effectus esset. Quae cum ita sint, constat metri rationem respicientes poetas in his vocabulis neutri generis admisisse pluralem poeticum.

---

1) Scil. Prop. II 18, 38; 26, 52; Ovid. ex Pont. IV 11, 16.

Digitized by Google

Iam restat quaestio, qua ratione explicandus sit pluralis poeticus eorum nominum, quae non sunt neutri generis. In his si accusativus singularis est, praebent vocalem brevem cum finiente littera *m*; pluraliter autem adhibita exeunt in vocalem longam cum littera *s*. Cum littera *m* ante vocales sit elidenda atque elisio numquam fere suave sonet, pluralis aptior erat, si quadrabat ad metrum. Porro si singularis consonis exciperetur, efficiebatur quidem syllaba longa, sed syllaba natura longa semper magis est sonora quam positione producta, praesertim cum littera *m* in fine semper debilis sit. Ex his quidem causis magis placuisse mihi videtur pluralis nominum masculini et feminini generis. Ac si mecum oculos intenderis ad locos Catullianos, cognosces semper (excepto eo loco, qui est 46, 1) plurali devitari hiatum sive substantivi ipsius (ut 35, 15; 65, 15) sive attributi (veluti 62, 7; 64, 99. 226. 242). Sed hic quoque quispiam fortasse cogitaverit casu id accidisse; quem iubeo adire quemlibet poetam: idem inveniet. Neque vero ut iam apud Catullum ipsum vidimus, desunt loci, ubi pluralis poeticus sine ulla causa positus esse videatur; cuiusmodi exemplis nostra definitio reici nequit; namque illa mira numerorum permutatio poetis in consuetudinem abierat, qua suam rationem dicendi distinguerent ab usu communi.

§ 14. His ex argumentis quamquam dilucide apparere mihi videtur natura pluralis poetici mere formalis, tamen hoc loco non inepte admonebitur de simili re, quae in poesi Germanorum recentissima nobis occurrit. Quantum enim apud Romanos numerus i. e. ῥυθμός valebat, tantum apud nos attribuitur versuum clausulis inter se consonantibus. Atque harum gratia etiam nostri poetae processerunt ad pluralia, quae alias non usurpantur. Ita Schiller in eo carmine, quod inscribitur 'Der Gang nach dem Eisenhammer' haec habet: *Und alles kniet und schlägt die Brüste Sich fromm verneigend vor dem Christe.* Illum pluralem illustrissimus poeta haud ignorabat non dici nisi κατ' ἐξοχήν de mulierum mammis; nam in eo carmine quod est 'Der Kampf mit dem Drachen' idem dicit: *Des Beifalls lang gehemmte Lust Befreit jetzt aller hörer Brust;* ac tamen admisit illam formam. Et id genus multa invenies apud nostros; sed iam mecum animum revoca ad Romanos et considera alia argumenta, quibus natura formalis pluralis poetici comprobatur.

Digitized by Google

Ac primum Maassium (p. 533 sq.) luculenter demonstrasse mihi est persuasum in versu saturnio non reperiri ullum pluralem poeticum; quem in hoc metro cur non admiserunt? Non indigebant poetae, cum huius metri trochaei et iambi optime quadrarent ad naturam linguae Latinae, tali auxilio, quali epici et elegiaci; quorum in metris primum legitur pluralis poeticus, unde paullatim in alia quoque metra transiisse suspicor.

Ea quam dedi explicatio etiam alia deliberatione confirmatur: invenimus enim apud poetas locos, ubi verba, quae in prosa oratione pluralia tantum sint, singulariter proferuntur. Adhuc sane desunt, qui hunc singularem, quem Maassium secutus vocaverim poeticum, simili modo definiverint ac pluralem. Equidem intellegere non possum, quare singularis, si in verborum numeris inesset talis vis ac potestas, non eodem modo significaret notionis pravitatem aut levitatem, quo pluralis magnitudinem. Vides igitur denuo explicationes e rationibus interioribus repetitas quam sint falsae: veras autem indagabimus, si persecuti erimus exempla Catulliana. Qui primum nomen *cervices* 63, 83 singulariter ponit; de qua re cum Maassius uberius et diligentius iam egerit, non habeo, quod plura dicam [1]. Alterum id genus exemplum est in voce *tibiae,* quae usque ad Ciceronem excepto uno loco (Tusc. I 107) semper pluraliter profertur [2]; hic autem poeta, ut alios mittam, 64, 264 singularem ponit, quem rationibus mere metricis adducti praetulerunt. Etenim forma pluralis abhorret a metro dactylico.

Superest, ut pauca addam de singulari qui appellatur collectivus. Sed cum hic poeta exemplum huius rei satis perspicuum non praebeat, liceat mihi delegare ad locos Ennianos, qui sunt A. 224, 277, 279: *quatit* (*concutit* 277) *ungula terram.* Quo de vocabulo idem valet ac de voce *tibiae* neque igitur a poetis epicis et elegiacis usurpari licet nisi per nominativum singularis. Qua re permotos poetas haud raro singularem collectivum in usum vocasse censeo; neque vero quamquam ad quaestionem pluralis poetici illustrandam multum valet, meum nunc esse puto copiosius de hac re tractare; sufficiat potius verbo rem gravem attigisse.

---

1) Cf. l. c. p. 501 sq.
2) Cf. Koene l. c. p. 48.

Digitized by Google

Caput III.

Quoniam e capite altero didicimus de causis mere formalibus vel potius metricis intellegendum esse pluralem quem vocamus poeticum, nunc nostrum erit perquirere, quomodo poetae ad hanc dicendi rationem devenerint. Nam summo iure hic quispiam interrogaverit, cur illi quoniam permultas voces ac formas versu coacti omiserunt [1]), non se abstinuerint potius ab his pluralibus, quibus usi sermonis pedestris rationem dicendi violenter laederent. Quod quaerenti iam respondere mihi liceat.

§ 15. In oratione soluta Romanorum ipsa nonnullae inveniuntur voces, quae et singulariter et pluraliter elatae idem significant. Atque ut exemplis Catullianis hic quoque potissimum utar, in primo capite huius dissertationis iam cognovimus illa nomina ut *medullae, gingivae, sedes* inter utrumque numerum in eadem re fluctuare. Quibus adiungam verbum *lignum,* cuius singularis et pluralis interdum sine ullo discrimine occurrunt. Idem valet de vocula *nix,* ne alia id genus enumeraverim. Sed ex iis ipsis quae attuli videmus hac numerorum similitudine et aequalitate perfacile fieri potuisse, non modo ut poetae alia verba pluraliter ponerent, cum non exprimerent meram pluralitatem, sed etiam ut homines, qui eorum carmina legebant, cognoscerent, quid poetae hac re significari vellent.

Accedit, quod in lingua Latina permulta verba exstant, quae sunt pluralia tantum. In iis non tam plane sentitur vera multitudinis notio; ad quorum similitudinem conformari potuerunt alia, quae idem fere denotent. Exempli causa illud *terga* et ceteros id genus plurales poeticos fictos puto ad similitudinem eorum quae sunt *cervices, fauces, nares, nates, praecordia, viscera,* alia; deinde illud *tecta* aliaque eiusmodi ad similitudinem eorum qualia sunt *aedes, fores, obices,* tum verba *funera, sepulcra, conubia* ad similitudinem vocum *exsequiae, nuptiae.* Praeterea in usurpandis abstractorum pluralibus poeticis non parvi momenti mihi fuisse videtur eius numeri maxima frequentia, e qua elucet Romanos non semper servasse propriam pluralis vim. Qua re nixi poetae descendere potuerunt ad pluralem poeticum, de quo veteres

1) Hanc rem optime comprendit Koene in commentatione saepius iam commemorata.

Digitized by Google

item iudicasse videntur ac Servius, qui ad Verg. ecl. V 36 ita dicit: *hordea*] *usurpative metri causa dixit.* Quamquam poetas si hoc plurali nimis laederent rationem loquendi communem, vituperatos esse demonstratur illo versu: *Hordea qui dixit, superest, ut tritica dicat.*

Plurimum vero in plurali poetico valuisse mihi videntur exempla Graeca; namque in hac lingua omnibus temporibus, etiam in prosa oratione, permulta nomina modo singulariter modo pluraliter proferuntur, cum nulla exstet inter utrumque numerum differentia. Qua de re copiose egerunt Kummerer, Iuhl, Volp[1]); sane quidem de hoc Graecorum usu numeri pluralis alia valet explicatio ac de plurali poetico Romanorum; ac quamquam definitiones horum virorum non omnes omnino probo, hoc laudo, quod materiam diligentissime congesserunt. Et primum videmus Graecos ea nomina, in quibus materia quaedam inest, sine ullo discrimine hic singulariter illic pluraliter proferentes[2]). Neque vero Catullus praebet vocem, quam comparari licet cum eiusdem verbi usu Graeco; contra illud *terga* nonne bene quadrat ad pluralem *νῶτα,* qui de unius hominis tergo usurpatur Hom. Il. *B* 308; *N* 547; *Y* 414; Od. *ζ* 225; *ι* 433; *κ* 161 alibi et Aesch. Prom. 446 et Soph. Trach. 1047; 1090; Ai. 110 aliis locis? Porro ea verba, quibus continentur regiones ac loca, apud Graecos plurative leguntur, ubi agitur de una tantum re; sic plurali *maria* simile est illud *πελάγη* Hom. Od. *ε* 335 et Soph. Ai. 702 atque *νῶτα θαλάσσης* Hom. Il. *B* 159; *Θ* 511; *Y* 228; Od. *γ* 142; *δ* 313; 362 alibi atque *ὑγρὰ* vel *ἰχθυόεντα κέλευθα* Hom. Il. *A* 312; *M* 225; Od. *γ* 71; 177; aliis locis. Tum pluralis poeticus *flumina* admonet de verbis Graecis *ῥέεθρα,* veluti Hom. Il. *B* 461; Od. *ζ* 317 et *ῥοαί,* ut Hom. Il. *B* 869; Od. *ζ* 216; *κ* 529, ac *litora* de *ἀκταί* Hom. Od. *ε* 405; *κ* 89; *ν* 98; Il. *M* 284 saepius. Etiam de una domo Graeci dicunt et pluralem et singularem; ita plurativum numerum vocis *ὑπερώιον* vel *ὑπερῷον* legis Hom. Il. *Π* 184; Od. *α* 362; *β* 358 et verbi *μέγαρον,* veluti Hom. Il. *A* 396; 418; *Γ* 207 multis aliis locis. Plurali autem *tecta* consimile est illud

1) Kummerer, Ueber den Gebrauch des plur. statt des sing. bei Soph. und Eur. Klagenfurt 1869; E. Iuhl, de num. plur. usu homerico. Halis S. 1879; E. Volp, de usu num. plur. Aesch. et Soph. Marpurgi 1888.

2) Cf. Iuhl p. 3—6.

Digitized by Google

μέλαθρα Aesch. Ag. 118; 523; 765; 842 alibi et Choeph. 342; 786; 1063; Soph. Phil. 147; 1428 et *στεγαί* Aesch. Ag. 3; 523; Soph. O.R. 533; 927; El. 1392; 1404; Trach. 329. Non aliter res se habet de pluralibus *sepulcra* et *funera,* quorum similitudo exstat in verbis *εὐναί* Aesch. Choeph. 317; Soph. O.R. 1249; Trach. 109; El. 93; 114 et *ταφαί* Soph. Ai. 1090; 1109 et *τάφοι* Soph. O.R. 987; O.C. 411; 1410; El. 443 et *θάνατοι* Hom. *μ* 341. Liceat porro conferri pluralem *tegmina* cum *κρήδεμνα,* quod de uno velamine dicitur Hom. Od. *α* 334; *π* 416 alibi.

Eandem comparandi facultatem praebent nomina abstracta; nam plurali *conubia* de uno tantum coniugio usurpato probe respondet illud *λέχη* Aesch. Prom. 923; Soph. Trach. 920 et *γάμοι* Eur. Iph. Aul. 707; Herc. fur. 483 et *νυμφεῖα* scil. *λέχη* Soph. Trach. 7 et *λέκτρα* Aesch. Suppl. 37; Soph. Ant. 862; Phil. 677; O.R. 260. Similiter *timores* admonet de *φόβοι*, veluti Soph. O.R. 585; 917 et *luctus* de *λυπαί* Soph. O.R. 915. Ac tametsi sine ullo labore de ceteris pluralibus idem facere poteris, equidem pluralibus Catullianis, quoad fieri potuerit, cum Graecis comparatis id statuo magnam esse similitudinem usus dicendi et Romanorum et Graecorum atque etiam de hac re valere verba Horatiana, quae legas Art. Poet. 52 sq.: *et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si Graeco fonte cadent* .... Ad quem fontem quod rediit Ennius, qui primus hexametrum induxit in linguam Latinam primusque creavit illum pluralem, non miraberis, si tecum reputaveris eum ab origine sua Graecam linguam didicisse ut sermonem patrium. Apta autem, quae acciperet hanc Graecorum loquendi consuetudinem, erat lingua Romana ex illis duabus causis, quas initio huius paragraphi ostendimus.

§ 16. Quoniam paragrapho antecedenti demonstrasse mihi videor pluralem poeticum maximam partem constare e verbis ad Graecarum vocum similitudinem fictis, nunc docere conabor nonnunquam in hoc plurali remansisse veteris consuetudinis dicendi vestigia. In rebus enim formalibus etiam atque etiam abreptos esse poetas studio atque amore antiquitatis cum alii monuerunt tum Reichardt et Wotke[1]); at adhuc prorsus deest, qui de plurali poetico hanc quaestionem

---

1) Cf. Reichardt, Jahrb. f. Phil. 1889 I p. 797 sq.; Wotke, Wiener Studien VIII p. 131—148.

Digitized by Google

institueerit. Quae cum ita sint, unum tantummodo certum exemplum afferre possum spe ductus fore, ut aliquis peculiari commentatione rem diligentius persequatur; hoc est *flumina.* Quem ad pluralem recte intellegendum Overholthaus (p. 5 et 6) iam oculos virorum doctorum convertit. Ille enim e quibusdam exemplis profectus contendit illum pluralem accipiendum esse de singulis undis; et certo illis locis, quales sunt Horat. carm. II 14, 17: *ater flumine languido Cocytus errans* . . . et Valer. Flaccus VIII 189: *inde sequemur Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo Perferat* . . . et ex attributis quae sunt *languido, certo* et e tota sententia colligatur necesse est notionem fluendi inesse. Sed non solum de fluore ipso, verum etiam de aqua fluente usurpant hanc vocem poetae, ut Horat. serm. I 1, 68 sq.: *Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina* — et Ovid. met. I 633: *Incubat infelix, limosaque flumina potat.* Liceat addere quod quidem usque ad hoc tempus nemo vidit; nam cum in oratione numeris non stricta singularis *flumen* semper coniungatur cum nomine proprio eundem casum praebente, ita ut probe intellegatur de fluvio vel amni, poetae cum plurali adiciunt nomen proprium, aut eius adiectivo aut genetivo sine ulla exceptione utuntur. Ita Vergilius *flumina* coniunxit cum genetivo nominis proprii his locis: Aen. XI 659 (*Thermodontis*) XII 331 (Hebri) 518 (*Lernae*), cum adiectivo: Aen. IX 584 (*Symaethia*); atque idem Ovidius cum genetivo: met. XV 753 (*Nili*), cum adiectivo: fast. IV 467 (*Ameana*); denique Statius Silv. III 3, 22 (*Lethaea*). Qua ex re praesertim si agitur omnino non de proprio fluvio, uti Verg. Aen. XII 518 (de *Lerna*, illa palude Argolica), concludi necesse est vocem *flumina* intellegendam esse de undis (Wogen, Fluten). Restat, ut demonstrem hac pluralis significatione poetas servasse morem dicendi priscum. Quod cognosces ex illo vetustissimo oraculo, quod Romanos in Veientes pugnantes ab Apolline Delphico accepisse Livius V 16 sub fine enarrat his verbis: *Romane, aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas.* Ad quem locum Strothius[1]) rectissime adnotat: '*suo flumine*] non de proprio fluvio, in quem lacus effusus sit, cogitandum, sed *suo flumine* iam est: cursu, quem aqua superfusa sponte per declivia in mare sequitur'. Ac si collibet hac quoque in re uti testimonio veterum,

1) Titi Livi opera omnia. Gothae 1816.

Digitized by Google

admoneam de Servii commentatoris verbis ad Verg. Aen. XII 518 adnotatis: *vetuste flumina pro fluore posuit.* — Plane huius vocis eandem significationem propriam cognosces e Caesaris dicendi ratione, qui dicit b. G. VII 58: *secundo flumine iter facere* ac 60: *adverso flumine proficisci*; unde concludes de vera fluxione esse accipiendum flumen, quam verborum iuncturam nostra lingua vertimus 'stromab' et 'stromauf'.

Sane quidem Caesar quamquam eius dicendi ratio est simplex, numquam demissus est ad infimam et pervulgatissimam verborum dignitatem; attamen hic occasio datur admonendi, in pluralibus poeticis interdum exstare 'vulgarismos', ut ita dicam; sed quia exempla Catulliana ansam non praebent rei exponendae, satis mihi est ad Maassii explanationem legentes revocasse[1]).

§ 17. Quoniam in quaestione universa excutienda longi fuimus, nunc ad Catullum ipsum revertamur illustraturi et quae receperit pluralis poetici exempla a poetis, qui ante eum floruerunt, et quae ipse creaverit eisque, qui secuti sunt, tradiderit.

Atque ut initium faciam ab eis pluralibus poeticis, qui iam ante hunc inveniuntur, primum ut retineam ordinem primi capitis, agam de eis nominibus, quae corporis quamlibet partem designant. Etenim dicendum est ea pluralia non multo ante Catullum exorta esse posse, cum primum legantur apud Laevium, qui fr. 11 a (Baehrens) pluralem *terga* in usum vocat. Cuius Laevii Ino si non ante Ciceronis Aratea scripta est, hic libellus prima id genus pluralia praebet; namque Arat. 267 et 461 invenimus pluralem *pectora* atque ibid. 152. 216. 278 pluralem poeticum *terga,* sed semper de sideribus. Catullus demum Laevium secutus de unius animalis tergo dicit *terga.*

Iam transeamus ad ea nomina, quibus regio aliqua vel locus continetur. Ac primum vocem maris ipsam de uno mari plurative positam reperimus Enn. Sc. 119; idem pluralem poeticum *aequora* primus usurpavit A. 478; quem secutus Lucretius II 1. 766 de uno mari dicit *aequora.* Tum commemorandum est ab Ennio ipso hunc poetam mutuatum esse illam miram dicendi rationem, qualis est *sola terrae;* namque apud Ennium A. 150 sic est: *sola regni* et A. 455: *sola terrarum;* apud Lucilium tum invenitur

1) p. 506 sq.

haec verborum coniunctio, scil. 446, et Lucret. II 592. Item pluralis poeticus *litora* apud Ennium iam occurrit, nimirum A. 369. 610; Sc. 68; sed illud *tecta* de uno tantum tecto apud Lucretium demum scriptum legitur (II 1110); contra *funera* idem Ennius iam profert in illo epigrammate notissimo V. 17. Simili modo Lucretius hoc verbum VI 1231 usurpat atque de interitu Troiae V 326; sed VI 1197 legitur *funera leti,* quod mireris.

Ab hac voce quae pro morte alicuius adhibita prope accedit ad verba abstracta, transimus ad quaestionem, quae ex his ante Catullum poetae usurpaverint.

Ac primum *lumina* Ennius ipse dixit A. 149, quem secutus Lucretius de solis luce ponit *lumina solis* I 5; idem pluralem praebet in ea verborum iunctura, quae est *lumina vitae* I 227; III 847; etiam ablativus apud eum legitur V 768; VI 284. Porro pluralis poeticus *maerores* iam invenitur apud Ennium, scil. Sc. 272, item apud Plautum, nimirum Epid. 105; Capt. 840, qui locus apud Neuium (Neue) deest. Illud autem vocabulum, quod huius simile est, nimirum *luctus,* primum leges apud Accium 94 (Ribbeck, tragg. Rom. fr. Lips. 1897); tum Lucretius isque dativo pluralis usus est III 932. Apud eundem pluralis quoque poeticus *timores* obviam fit primum, scil. II 45; V 46; at eius verbi quod huius est consimile pluralem, nimirum *terrores,* iam apud Ennium reperimus A. 545, qui locus apud Neuium deest; tum Lucretius offert III 16; V 1307. Ab illo procreatus esse videtur etiam vocis *robor* numerus plurativus, quem II 449. V 817. 892 ut merum abstractum usurpatum legis et IV 54 pro concreto ita, ut idem valeat ac ligna. Apud eundem denique primum in usu est pluralis vocum *otium* et *tepor,* hic II 517, ille V 1385.

Qua re pertractata transeamus ad ea pluralis poetici exempla, quae apud hunc primum inveniuntur. Exordiar autem ab iis, quae quod pluraliter proferuntur, primo obtutu mirum esse videtur. Ac vocem *ignis* quidem Lucretius persaepe plurative ponit, ut denotet illa varia ignis genera, quae ab eo distinguuntur, vel incendia, sidera, alia. Neque vero quisquam ante Catullum usurpavit numerum plurativum de uno tantum sidere. Plane idem valet de hoc verbo ardorem amoris significante; etenim idem Lucretius in hac re ponit singularem, veluti I 474, sed inde a Catullo in rebus amatoriis pluralis huius vocis est usitatior; atque ut exempla afferam, Vergilius ecl. V 10; Horatius carm. I 13, 8; III 7, 10; Ovidius met. II 410; VI 708; Phaon. 163 alibi per-

Digitized by Google

saepe *ignes* de amore dicunt. Cui exemplo adiciam *fletus,* quod plurative saepius ponitur ab eis, qui Catullo succedunt, scil. Tibull. I 4, 72; II 4, 37; Verg. Aen. II 271; IV 439; georg. IV 375 alibi; Ovid. art. am. III 432; met. I 583; IV 692; trist. V 1, 86 saepius.

Iam veniendum ad ea nomina, quae cum agatur de compluribus rebus, in prosa quoque oratione pluraliter efferuntur neque ob formam pluralis ipsam in offensionem nostram cadunt; sunt autem de concretis haec: *flumina, sepulcra, tegmina,* quorum solum *tegmina* apud eos poetas, qui Catullum secuti sunt, pluraliter non legitur; *flumina* autem de uno tantum fluvio perquam saepe apud posteriores legitur, ut mittam exempla afferre. *Sepulcra* tamen apud Ovidium demum poetica cum licentia usurpatum repperi, scil. her. X 124; ex Pont. III 4, 76

Reliquum est, ut indagem, quales abstractorum plurales a Catullo primum poetice adhibiti et a posteris poetis recepti sint. Ac primum adnotandum est vocem *gaudia* apud omnes fere saepissime inveniri, tametsi singularis suffecisset; idem valet de verbo *facta.* Certissime sane poetica cum licentia pluralis *fata* ponitur Verg. georg. III 17; IV 495; X 380 alibi et Ovid. met. XIII 54. 335 de Troiae interitu. Tum de uno *conubio* Vergilius persaepe admisit pluralem [1]) et Ovidius, veluti met. XI 266 (Thetidis), XIV 69 (Circes), amor. II 7, 21 (Veneris). At pluralem poeticum *stipendia* apud nullum prorsus inveni, quod ex eo explicari potest, quod sermo communis abhorret a plurali nisi cum coniungatur cum verbis *facere, merere,* aliis.

Hac re ad finem perducta vidimus Catullum maiorem suorum pluralium poeticorum partem recepisse ab eis, qui ante eum fuerunt, illos autem decem plurales, qui primum apud hunc legantur, eiusmodi esse, ut homines non offenderent. Quodsi posteriores exceptis duobus tantum exemplis (*tegmina, stipendia*) omnia receperunt, inde concludendum est Catullum cum cautissime se gessisse in plurali poetico usurpando, tum in iis, quae nova crearet, felicissime. Ego autem si hac commentatione aliquid attulisse censebor ad naturam pluralis poetici mere formalem demonstrandam et comprobandam, magnopere laetabor.

---

1) Cf. Braumueller l. c. p. 16.

Digitized by Google

INDEX.

Digitized by Google

VITA.

Natus sum Fridericus Carolus Slotty a. d. XIV. Kal. Nov. anni MDCCCLXXXI Bregae, in oppido Silesio, patre Friderico, matre Luisa e gente Fronzke, quos superstites pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evang.-lutheranae.

Primis litterarum elementis per quattuor annos imbutus inde ab anno MDCCCXCII usque ad annum MCMI frequentavi gymnasium regium oppidi patrii. Maturitatis quod vocant testimonio instructus Gryphiam me contuli, ubi in graeca et latina nec non sanscritica studia incubui atque scholis interfui virorum illustrissimorum Gercke, Heller, Koerte, Kroll, Seeck, Siebs, Zimmer, Zupitza et proseminariis philologicis moderantibus Gercke, Koerte, Kroll.

Autumno anni MCMII Vratislaviam eiusque universitatem Viadrinam adii ibique per unum annum audivi docentes illustrissimos Cichorius, Foerster, Hillebrandt, Hoffmann, Norden, Skutsch, Zacher; simul sodalis fui seminarii philologici auspiciis Nordeni, Foersteri, historici Cichorio rectore.

Tum Ienam ad studia mea absolvenda transmigravi, cuius universitatis civis usque ad hoc tempus fui; imbuerunt me litteris vv. ill. Cappeller, Delbrueck, Eucken, Goetz, Hirzel, Liebmann, Noack, Schrader. Qua in academia interfui per ter sex menses consessibus seminarii philologici moderatoribus Gelzero, Goetzio, Hirzelio, seminarii historici rectoribus Gelzero et Cartellierio; exercitationibus archaeologicis Noack benigne me admisit.

Quos omnes praeceptores, praeter ceteros autem Georgium Goetz, qui studia mea et alia et Catulliana summa benevolentia adiuverit, pia grataque memoria me semper esse prosecuturum polliceor.

Digitized by Google

Stockton, Calif.
PAT. JAN. 21, 1908

YC 51988

14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED

LOAN DEPT.

This book is due on the last date stamped below, or on the date to which renewed.
Renewed books are subject to immediate recall.

26Apr54VR
26Apr54VR
REC'D LD
MAY 3 1 '64 -6 PM

m-11,'63
)476B

Digitized by Google

General Library
University of California
Berkeley

Digitized by Google